

VINDICIÆ
ROMANI MARTYROLOGII,

XIII. AUGUSTI

S. CASSIANI

FORO-CORNELIENSIS MARTYRIS,

V. FEBRUARII

SS. BRIXINONENSIUM EPISCOPORUM

INGENUINI ET ALBUINI

MEMORIAM RECOLENTIS.





VERONÆ, MDCCLI.

Ex Typographia Episcopali Seminarii apud Angelum Targam.

Superiorum facultate.

Minime nos fugiunt multæ graveſque controverſiæ, quæ circa Romanum Martyrologium agitantur; ab aliis quidem quos Scientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurigine; ab aliis verò qui ad ſobrietatem ſapiunt, eo conſilio, ut quæ ſubobſcura ſunt, vel incerta, nova quadam veritatis luce donentur.

Benedictus XIV. P. M. de Nova Martyrol. Rom. Edit. num. II.

VIRO SUMMO

SCIPIONI MAFFEIO
MARCHIONI.

GERMANIÆ THEOLOGUS.



NOn est quod mirere, Vir Sapientissime, Germaniæ Theologum præclarissimo Nomini tuo hanc qualemcumque Opellam nuncupare. Quandoquidem immensæ Eruditionis tuæ fama longe celeberrima arctis solius Italiæ limitibus se circumscribi neutiquam passa, per universum qua late patet Litterarium Orbem pervagata est adeo, ut nedum florentissimis Galliæ Gymnasiis, & Academiis

ipsa perstrepuerit, atque ad Te illustrem Seguierium primi ordinis Botanicum, atque Astronomum pellexerit, ac pertraxerit, & velut indivulsum Tibi Achatem adsciverit, sed vel præstantioribus Germaniæ nostræ, etiam remotioris, Lyceis ad stuporem usque insonuerit. Fama hæc non potuit non comitari Opera tua, auro cedroque dignissima, queis de Litteraria Republica, ac Catholica etiam Ecclesia bene mereri semper hactenus studuisti. Sicut enim ejuscemodi Opera, quæ a fœcundissimo juxta ac limatissimo calamo tuo in omni disciplinarum genere identidem prodeunt, Encyclopædiam Scientiarum omnium complectuntur, ita necessum est, ut Regiones occupent omnes, in quibus meliores Litteræ, cultioresque Musæ, pulsa barbarie, florescunt. Prolixum nimis fuerit, quin & modestiæ tuæ perquam grave, laudatorum ac nusquam satis laudandorum Operum tuorum, quæ in re Poetica, Equestri, Philologica, Physiologica, Theologica, Topographica, Amphitheatrali, Historica, Critica, Diplomatica, Lapidaria &c. ingenti Bonorum omnium plausu publici juris fecisti, ac elogiorum quoque numero plurium, queis a Clarissimis Scriptoribus, etiam a Romana Communione extorribus, ipsoque nupero Universæ Ecclesiæ Hierarcha celebratissimo, passim ornantur,

Syllo-

Syllogen texere, eaque duntaxat indigitasse mihi satis, ut pateat, jure meritoque in Iconographia primi subsellii Litteratorum, qui nostrum eximiis Commentariis illustrarunt ævum, vel tuam ære incisam præclarissimam imaginem in Germaniæ nostræ Musæis palam circumferri, ac spectantium sese oculis sistere, ut nulla tui memoriam immortalem apud seram posteritatem oblitterare possit oblivio. Temperare tamen mihi nequaquam possum, quin referam quod in maximam tui profecto cedit commendationem, tanti fieri vel ab ipsis Adversariis tuis non omnino invidis a Te editos hactenus Commentarios, ut sin minus ex præconcepta adversa opinione mentis adsensum ab illis extorqueant, grandem saltem de styli nitore ac elegantia, de verborum lepore, gratia, venere, ac salibus, de modestia in coarguendis alienis placitis, de ordinatissima differendi methodo, de uberrima omnigenæ eruditionis copia, de exoticarum Linguarum peritia, de reconditioris antiquitatis pervestigatione, de utriusque profanæ ac sacræ Historiæ Scientia, deque brevitate juxta ac claritate, & plane singulari Laconismo, admirationem obtineant. Equidem ea est Lucubrationum tuarum natura; ut paucis paginis ea affatim perstringas, quæ latius alii grandi volumine vix aut ne vix

quidem

quidem comprehendunt ; quodque mirum magis, quam eos eruditionis ubertate vincis, tam eosdem superas claritate. Neque illud silentio occuluerim tibi itidem gloriosissimum, Te unum regiam præmonstrasse viam, cum ad Italiam Sacram ab anilibus fabellis purgandam, tum ad Christianum Museum pro roborandis Catholicis dogmatis, custodiendaque incorrupta disciplina, adornandum, undique ad id conquisitis totius retro antiquitatis sacræ monumentis ; tum quoque egregie propugnasse orthodoxiam de Augustissimo Eucharistiæ mysterio adversus Pfaffium atque Basnagium, quorum unus ex novis quibusdam græcis S. Iræneo perperam adfictis fragmentis, alter ex quadam S. Jo. Chrysostomi ad Cæsarium Epistola, illud impetebant ; atque etiam ademisse ac præripuisse Protestantibus præsidium, quod Chandlerus in Complexionibus Cassiodorii ponebat. Quid autem de laudatissima Theologica Historia dicemus ? Quæ cum ita sint, mirari amplius nequaquam subeat, extrarium Germaniæ Theologum tui omnium præstantissimi nominis celebritate excitum atque permotum, tibi præ cæteris omnibus præsentem Dissertatiunculam inscribendam duxisse. Hercle alium invenire erat nullum, cujus nominis claritati magis sacra

fieret.

fieret. Quum enim mihi res ſit cum Roſchmanno tibi amicitia juncto, tuorumque præfatorum Operum ſuis paſſim in Libris longe æquiſſimo laudatore, oppido gratum ipſi futurum exiſtimavi tribunal, ad quod, pro controverſia nos inter non ita pridem excitata poſtremo finienda, adpellavi. Ac ſane cui cauſſam adjudicaveris rectiſſimo criterio tuo, ille nuſquam cauſſa cadet, ſed pro ſe habebit, nedum locupletiſsimum teſtem, ac ſuffragatorem optimum ſed & Judicem quoque nemini plane ſecundum. Tibique profecto tanquam Judici ſapientiſsimo Opuſculi mei rationes diſpungendas dijudicandaſque ſubjicio, probe edoctus cum a D. Ambroſio in Epiſt. 63. Lib. 8. Edit. Rom. ad Sabinum: „ Unumquemque fallunt ſua ſcri-„ pta, & Auctorem prætereunt, atque ut fi-„ lii etiam deformes delectant, ſic etiam Scri-„ ptorem indecores ſui ſermones palpant: „ tum a D. Auguſtino ad Marcellinum Epiſt. 7: „ Ego Judices meos veros, & veritate ſeveros, „ magis intueor. Quod ſi tanta Eccleſiæ lumina de ſe ita demiſſe ſenſerint, quotus quiſque ſum ego, ut abſque cenſore ac judice aleam jacere auſim? Accedit vel alio nomine tibi omnino deberi Lucubratiunculam meam, quod ex puriſsimo Veronæ a Te perquam egre-

gie

gie illustratæ fonte plura ad meas irrigandas areolas derivavi. Neque enim me pudet ingenue profiteri, quo docente Magistro præcipue profecerim; puderet potius de plagii crimine postulari, viderique haud citra risum Horatianam Corniculam furtivis coloribus denudatam. Certe ut a morosis censoribus vindicandum adgrederer geminum Martyrologii Romani locum, cum Idibus Augusti, ubi altum de Sabionensi S. Cassiani Martyris Præsulatu silentium, tum Nonis Februarii, ubi Sanctitas Ingenuini prioris Sabionensis Antistitis diserte commemoratur, auctor mihi fuisti; probe gnarus eorum quæ novissime monuit pro eximia sapientia sua, vel ab ipsis cordatioribus Germaniæ nostræ Heterodoxis impense laudata, SS. D. N. Benedictus XIV. in Litteris Apostolicis de nova Martyrologii Romani Editione *ad Joannem V. Portugalliæ & Algarbiorum Regem num. II.*
„ *Minime nos fugiunt multæ gravesque con-*
„ *troversiæ, quæ circa Romanum Martyrolo-*
„ *gium agitantur; ab aliis quidem, quos scien-*
„ *tia inflat, inexplebili quadam dubitandi pru-*
„ *rigine; ab aliis vero, qui ad sobrietatem sa-*
„ *piunt, eo consilio, ut quæ subobscura sunt,*
„ *nova quadam veritatis luce donentur.*„ *Idque eo consultius duxisti, ne Windheimiis præ-*

laudati

laudati Pontificis Maximi novis Ariſtarchis, pyrrhonica quadam licentia omnia in dubium vertentibus, vitilitigandi anſa præbeatur, atque obganniendi in Obſervat. Theologico-Hiſtor. ad Bened. XIV. nuperam ad Epiſcopum Auguſtanum Epiſtolam pag. LXXVIII: „ Nonne oporteret Eccleſiam, & Pontificem tantum, qualis hodiernus eſt; ſine mora Sanctorum inſtituere luſtrationem, atque ficta illa & inviſa Numina proſcribere, & ex Sanctorum indice delere, ne miſera plebs diutius ſuperſtitione non minus quam improbitate detineretur? „ Quem Thraſonem ſingulari Opuſculo Cl. Muratorius noviſſime confutavit. Reliquum eſt, ut, cum non ita pridem pleriſque difficultatibus circa Galliæ Antiquitates *facere ſatis curaveris, tuam quoque proferas ſententiam circa* Antiquitates Rhætiæ ſecundæ cum ſacras, tum etiam profanas, *ac pro tua judices æquitate, ſi quid operæ contulerim, ut ſincerior ac purior Sabionenſis prodiret Hiſtoria, ſin minus conatus ſaltem meos æqui bonique conſulas, meque inter gloriæ tuæ ſtudioſiſsimos perhumaniter complectaris, patiariſque de Te illud priſci Poetæ apud Lactantium Lib. 3. cap. 17. concinere:*

x

Qui genus humanum ingenio ſuperavit: & omnes
Reſtrinxit ſtellas, exortus uti æthereus Sol.




TOTIUS DISSERTATIONIS *ADSPECTUS.*

I. Peritur scribendi ratio. II. Referuntur Monumenta a Roschmanno retecta, queis nititur Sabionensis S. Cassiani Præsulatus: III. ad X. Expenditur auctoritas, & antiquitas Bartholomæi Tridentini Sabionensem Episcopatum D. Cassiano adserentis, ac valor ejus testimonii hac super re æqua lance pensitatur. XI. ad XX. Ad trutinam revocantur cætera Documenta omnia, quæ de hoc ipso loquuntur, ac nihil certi in rem istam ex iisdem exsculpi posse evincitur. XXI. Ad crisim quoque exiguntur veterum Patrum auctoritates, ex quibus Sabionensis Episcopatus antiquitatem OEnipontanus Scriptor conjectat, cum primis conjectura ex verbis S. Epiphanii deducta facili negotio exsufflatur. XXII. Dispunguntur quoque verba Innocentii I. Pontificis Maximi. XXIII. Nec non Lactantii, Hieronymi, Cypriani, ac Tertulliani. XXIV. Ex Anauniensi Valle sæculo labente IV. Christi fide primum illustrata, ex Tridentina Diœcesi supra Vigilium geminos duntaxat Episcopos recensente, Feltria nullos ante sæculum VI. Antistites

 agro-

agnoſcente, Veldidena Epiſcopali certa fixaque Sede ſemper deſtituta, conjecturale argumentum in Adverſarium retorquetur. XXV. ad XXXIX. Refelluntur conjecturæ a Roſchmanno deſumptæ ex vetuſtiſſimis Sabionenſis Diœceſis Templis S. Laurentio Martyri, ac D. Petro dicatis, ex D. Romedio Thaurenſis Caſtri in eadem Sabionenſi Diœceſi Domino, a Chriſtianis Parentibus orto, ex Jacobo Rhætiæ primæ & ſecundæ Comite a D. Vigilio Tridentino Antiſtite in Epiſtola ad S. Jo. Chryſoſtomum laudato, ex Equitibus, Militibuſque Chriſtianis Duci Rhætiæ primæ & ſecundæ ſubjectis, ex jure Metropolitico Mediolanenſis Eccleſiæ paſtoralis ſollicitudinis ſuæ ſpatia vel ad utramque Rhætiam ipſam dilatantis, nec non ex Veldidena, Urbe in Rhætia principe, ſita in ejuſdem Sabionenſis Diœceſis ambitu. XL. ad XLVI. Exploditur quoque conjectura deducta ex proximis aliis Eccleſiis, quæ longe antiquiſſima Epiſcoporum ſucceſſione jure gloriantur. XLVII. ad XLIX. Nulla itidem illa conjectura demonſtratur, quæ ſumitur ab iis, quæ poſt Ingenuinum litteris conſignata ſunt, ut veritas itidem eorum, quæ ante ipſum memoriæ ſunt prodita, colligatur. L. ad LIII. Refutantur præterea illa omnia, quæ ad Anonymi Mabilloniani teſtimonium eludendum Roſchmannus reponit. LIV. ad LV. Ex eodem locupletiſſimo teſtimonio confectaria duo derivantur, nempe & Ingenuinum primum Eccleſiæ Sabionenſi præfuiſſe, ac eam Sanctitatis quoque fama clariorem effeciſſe. LVI. ad LXXV. Ab Schiſmate ipſum reſipuiſſe defenſatur, ac Sanctitatis titulus ita eidem adſeritur, ut tamen Agnello Tridentino, ac aliis quoque pluribus denegetur, utut ipſos ſimiliter ſchiſma ejuraſſe veriſimile ſit. LXXVI. ad XC. Rejicitur Roſchmannus, qui conatur grandem Caſſianum inter & Ingenuinum hiatum implere inauditis hactenus Epiſcopis, atque hoc pacto vim ajentis argumenti ex prælaudato Anonymo Mabilloniano petiti declinare. XC. ad CVI. Palam fit, ipſum quoque fruſtra vim argumenti inficialis infringere. CVII. Laudantur ea, de quibus ille ſcite diſſeruit, quæve idem præcipue peccavit una ſimul notan-

notantur. CVIII. ad CIX. Stante, rebus omnibus ultro citroque pensiculatis, dubio, videtur *pro praxi*, ut ajunt, cultus S. Cassiani qua *Episcopi*, ac S. Ingenuini qua *Confessoris*, a vetusta eaque pacifica possessione minime deturbandus. Pro qua magis magisque illustranda a pag. 179 ad pag. 194 adjiciuntur Fasti Brixinenses criticis notis dispuncti, a pag. 195 ad pag. 200 Appendicula de levioribus Romani Martyrologii mendis sacrum cultum nihil vitiantibus, a pag. 201 ad pag. 203 Epistola Auctoris ad praeclarum Seguierium directa.



TABU-

TABULA.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CA-

CAPUT VII.



NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione ed Approvazione del *P. Fra Girolamo Maria Medolago* Inquisitor Generale del Sant' Officio di *Verona* nel Libro intitolato *Vindiciæ Romani Martyrologii XIII. Augusti S. Cassiani Foro-Corneliensis Martyris V. Februarii SS. Brixinensium Episcoporum Ingenuini, & Albuini memoriam recolentis &c. MS.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza ad *Angelo Targa* Stampator di *Verona* che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 29 Agosto 1750.

(Z. Aluise Mocenigo 2.° Rif.
(Zuane Querini Proc. Rif.
(

Registrato in Libro a Carte 30 al Num. 315.

Michiel Angelo Marino Segr.

DIS-

- XVII



DISSERTATIO
CRITICO-HISTORICA
GERMANI CUJUSDAM THEOLOGI
AD S. R. I. EQUITEM.

I. QUum Litterati Viri, mecum amicitia juncti, meum sæpius poposcerint judicium, nec ipse qui multis nominibus longe præstas cæteris, dedignatus fueris meam iterato rogare qualemcumque sententiam de Conjecturis ab erudito doctoque Viro Antonio Roschmanno Cæsareo Œniponti Bibliothecario novissime adlatis pro vindicando Sabionensi Episcopatu S. Cassiani Martyris Imolensis, utut aliis distentus curis, non potui tandem non acquiescere, moremque gerere, ac brevi quadam Dissertatiuncula, subsecivis horis conscripta, leviorique brachio lucubrata, non aperire quod sentio. Atque eo lubentius spartam hanc modulo meo ornandam suscipio ad longe æquissimas vindicias Martyrologii Romani, in quod ab intemperatioribus Criticis paulo licentior censura exeri sæpe solet, modo illud criminantibus de Sanctorum nominibus perperam prætermissis, modo de eorundem Sanctorum nominibus temere insertis. Equidem in præsenti, quam versabimus, controversia, duo in Romano Martyrologio culpantur, eo quod Nonis Februarii Ingenuini prioris Episcopi Sabionensis, viri certe Schismatici, nomen fuerit superstitiosissime intrusum; & quod Idibus Augusti Sancti Cassiani primi Episcopi Sabionensis additamentum fuerit oscitanter omissum. Mea autem interesit utrumque lo-

cum vindicare, atque suadere, recte quidem uni loco Sancti Ingenuini nomen inscriptum, ac recte quoque Sabionensis primi Antistitis elogium in altero prætermissum, de Cassiani martyrio mentione unice facta; neque conjecturas ex adverso productas, sive pro uno expungendo, sive pro altero adjiciendo, satis concludere. Noveris itaque, Vir undequaque illustrissime, nonnullas ex conjecturis, queis Sabionensis Sancti Cassiani Præsulatus probatur haud, mea quidem sententia, despicatui prorsus habendas, quin imo laudandum conatum Roschmanni viri certe de rebus Tyrolensibus optime meriti, ac in Geoprathia Rhætica (a) apprime subacti: (si tamen suopte ingenio animique sententia, & non potius, ut populo ac scenæ serviret, ad eas conquirendas animum adpulit) *neque enim* (inquit Cl. Hansizius Tom. I. Metropol. Laureacens. cap. 2. pag. mihi 13.) *non obluctandum ignorantiæ, aut contemnendum studium, quo in defectum monumentorum ad scopum veritatis connitimur ratione. Ecquis adeo duras Historiographo scribet leges, ut omnia, quæ de antiquis traduntur, indubitatis monumentis adstrui velit? Multarum rerum sapiens conjectura est, & recte de vetustate, quæ nobis testes invidit, argumentis aliunde quæsitis ultio sumitur.* Nihilo tamen secius in ea sum opinione, antefatas cæterasque id genus conjecturas tanti faciendas neutiquam esse, ut ex adverso omne dubium submoveant, sed adhuc iis nequicquam refragantibus, grandem ambigendi locum relinqui, satiusque fore in re adeo incomperta Pyrrhonicos, quam Dogmaticos agere, ac cohibere mentis adsensum, donec graviora argumenta (quod tamen obtentu perdifficile opinor) aut illum exsculpserint, aut majorem lucem adtulerint. *Quid enim*, inquit Cicero L. 1. de Nat. Deor. c. 1., *tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate, atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere?* Nonne S. Cassiani Foro-Corneliensis Martyris Episcopatus Sabionensis unum est ex illis

lis

(a) In hujus commendationem extat locupletissimum testimonium litteratissimi D. Card. Angeli Mariæ Quirini in Litteris ad Sereniss. Principem Hassiæ Lantgravium Augustanum Episcopum, quo illum impense laudat velut *probe imbutum tam sacris, quam profanis litteris, rerum vero Rhæticarum cognitione ita præstantem, ut nulli secundus haberi debeat* &c. Commendatur quoque in Museo Veronensi, novissimo Opere omnibus numeris absoluto Clarissimi Marchionis Scipionis Maffeii pag. CCCCLIV. velut *eruditus, & optimis studiis impense deditus.* Ac sane hunc bonarum litterarum cultu spectatissimum invidi soli negarint.

lis eventis factisque Historicis, quæ exigua gaudent veritatis imagine, & de quibus possumus jure ac merito ambigere? An non contrariis se se invicem elidentibus obversatur opinamentis, hinc & illinc, tum quoad auctoritatem, tum etiam quoad conjecturam, in suspenso manentibus, ut demum multi operis sit judicium ferre, utra præstare debeat opinio, quæve propius ad veritatem accedat? Nunquid non opiniones hujusmodi æquis ad minimum librantur ponderibus, nec tanta est pro adfirmante auctoritas vel conjectura, ut pro ea lancem premere queant? Sane hic agi de re satis non explorata, nec satis firmo scipione niti Sabionensem Præsulatum S. Cassiano adtributum, ut locum in Romano Martyrologio sibi merito vendicare valeat, ipse novit Œnipontanus Auctor, quem in præsentia refellendum adgredimur, cum ideo argumentis ab se productis conjecturarum titulum modeste præfixerit. Atque utinam hanc modestiam in ipso Operis progressu servasset, minus profecto haberet, in quod censoriam virgam jure ac merito distringeremus. Cæterum ipse modesti postea tituli prorsus oblitus, ac Thrasonem agere in Adversarios suos nihil veritus, suas ita effert ac magnificat conjecturas, deque iis usque adeo sibi adblanditur, velut apodictica essent argumenta, queis citra temeritatis grande piaculum adversari nemo ausit, ac velut in re versaremur in meridiano lumine posita, quæ suapte luce corusca sit, neque obscurarum conjecturarum sit indiga. *Etiamne* (inquit Cicero pro Rosc. Am.) *in tam perspicuis rebus argumentatio quærenda, aut conjectura capienda sit?* Eo enim usque processit cap. XVII. pag. 109. ac cap. X. pag. 44. nescio quo œstro disputationis abreptus, ut *temerarium* adpellare haud vereretur, qui indubiis, ut ipse vocat, Actis, Episcopatum Sabionensem S. Cassiani testatum facientibus, fidem adjungere detrectaret, *temeritatis* quoque notam inureret cap. XIII. pag. 59. illi, qui Anonymo Mabillonii innixus, Ingenuinum primum Sabionæ Episcopum poneret, *emotæ mentis* eum confidenter diceret, qui illa se se posse impugnare somniaret, ac Rhætiæ quoque vocaret *injurium*, qui eam serius orthodoxam fidem, quam reliquam Italiam, recepisse censeret. Quasi vero temeritatis grande peccatum peccassent, a statu mentis fuissent deturbati, immanemque injuriam Rhætiæ irrogassent Mabillonius, Tillemontius, Ruinartius, Georgius, Tartarottus, PP. Antuerpienses, aliique moderni Critici non imperiti, Sabionensem S. Martyris Episcopatum non admittentes. Quasi etiam non probabilibus conjecturis, sed luculentissimis argumentis rem ipse confecisset,

ciſſet, ac non potius minus prudens & ſanus, tum Rhætiæ, inclytæque Diœceſi Sabionenſi, nunc Brixinenſi, injurius futurus ſit ille, qui velit veros ejus honores commentitiis augere, illius ſplendorem ex anilibus fabellis accerſere, ejuſdemque gloriam a tot Præſulum ſanctitate ac doctrina vere profectam fictis narratiunculis amplificare. Quanto ſatius fuiſſet, ſi Roſchmannus præ oculis habuiſſet, quæ noviſſime ſcripſit adverſus novitias opiniones, nulla Veterum anctoritate ſubnixas, P. Franciſcus Antonius Zaccharia S. J. in Epiſtola ad D. Laurentium Covi Brixianum Equitem inſerta Opuſc. Collect. Calog. Tom. XLI. (a), aut æmulari ſaltem curaſſet in propugnando S. Caſſiani ad Sabionenſes Apoſtolatu modum, quem tenuit magnus Baronius in adſerenda D. Jacobi Apoſtoli fratris B. Jo. Evangeliſtæ in Hiſpaniam profectione, inquiens in Not. Martyr. Rom. oct. Kal. Aug. „ Prædicta autem non ſic mordicus defendimus, ut his invitos adſtipulari cogamur; ſed potius ut oſtenderemus, quæ dicuntur „ de profectione ejus in Hiſpaniam non eſſe adeo impoſſibilia, „ vel haberi pro monſtro, ut putant aliqui „ aut potius imitari ſtuduiſſet adhuc recentius proximiuſque moderationis exemplum, moderationem videlicet, quam adhibuit Rubeus in defendendo Aquilejenſi D. Marci Evangeliſtæ Apoſtolatu, quave uſus eſt Saxius in vindicanda Sancti Barnabæ ad Mediolanenſes Miſſione? Tunc plane & rem veriſimilius ſuaſiſſet, nec ita ſuis Adverſariis infenſam verborum acrimonia, quæ difficile æquo fertur animo, virumque probum dedecet, effeciſſet. Quam vero ipſe Operam ludat in id genus pleriſque ſaltem, ſive conjecturis corradendis, ſive demonſtrationibus jactitandis, ſeu gloria ex incomperta antiqui-

(a) Hunc præfert titulum: *Lettera del Padre Franceſcantenio Zaccheria della Compagnia di Gesù al Sig. Lorenzo Covi Cavaliere Breſciano, ſopra gli ſtudj, che da lui deſidera intrapreſi.* In hac ergo Epiſtola contra abuſum Artis Criticæ modo impiæ ac temerariæ, modo nimis credulæ ac ſere ſuperſtitioſæ, hoc pacto invehitur pag. 94. *Il peggio ſi è, che dopo tanto faticare di eccellenti Critici per iſterpar le favole, rinaſceno le opinioni del batteſimo di Coſtantino in Roma, dell' andata di S. Dionigi Areopagita in Francia, delle penitenze fatte da S. Maria Maddalena nella Spelonca di Marſiglia, del Simbolo di S. Atanagi, del Martirio di S. Zenone Veſcovo di Verona, e ſomiglianti altre, e Libri nuovi ſi veggono ad accreditarle. Anzi un Operaccia abbiamo non ha molti anni veduta collo ſpecioſo titolo di* Acta Martyrum vindicata, *a tutte di un colpo, ſe poſſibil foſſe ſtato, mettere a niente le laudevoliſſime induſtrie di que' valentuomini, i quali a tanto vantaggio della Chieſa intenti ſono a purgare dalle inſerite favole gli Atti de' Santi.*

tiquitate concilianda, hæc brevis palam faciet Lucubratiuncula; ea animi moderatione ſcripta, ne videar palmam in muſtaceo, ac laudem in re tenui quærere, nulluſque jure mihi vitio verte-re queat, quod non amore veritatis, cui unice litandum, permotus, ſed ad conflandam litteraro viro, mihi alias in paucis chariſſimo, pluribuſque nominibus cum primis laudando, invidiam, propriamque gloriolam aucupandam in eum calamum ſtrinxerim. Intereſt autem ordinis, ne incondita ac tumultuaria videatur Opella, cujuſmodi Roſchmanni Opus non nemini ex moroſioribus Cenſoribus, ipſique Roſchmanno in nuncupatoria ad Celſiſs. & Reverendiſs. Leopoldum ex Comitibus de Spaur Epiſcopum & Principem Brixinenſem Oratione *tumultuarium* viſum eſt, rem ita digerere, ut cum primis monumenta ab ipſo recens deteƈta ad criſim exigam, tum ejus conjeƈturas diſpungam, deinde reſponſa ab ipſomet contrariis argumentis ajenti ac inficiali adhibita penſiculatius expendam, ac demum mea ſenſa de re iſthac expromam. Quia vero Roſchmannus paſſim quoque Ingenuini Sabionenſis Antiſtitis ſanƈtitatem impenſe commendat, integrum etiam mihi fuerit quadamtenus in rem iſtam excurrere, non quidem ut ejuſcemodi ſanƈtitatem una cum ſeverioribus quibuſdam Criticis negem, ſed ut pro mea tenuitate comprobem, ac vindicem (*a*); ut vel hinc pateat, me non ſemper agere Roſchman-

---

(*a*) Hanc circa Ingenuini Sanƈtitatem controverſiam tangit Franciſcus Maria de Aſte in Martyr. Not. pag. 64. inquiens: „Cardinal. Baron. in Not. „ de Genuino: *Fuit Epiſcopus Sabionenſis, qui cum temporibus Longobardorum in exilium pulſus eſſet, ibi mortuus.* Hoc idem Petrus in Catal. L. 3. c. 85. At Holſtenius vir „ eruditus animadvertit: *Fuit Schiſmaticus hic Ingenuinus, & primo loco ſubſcripſit Libello Epiſcoporum Aquilejenſis Provinciæ ad Mauritium Imperatorem contra Sanƈtum Gregorium Magnum, quem publicavit ipſe Baronius ad annum Chriſti* 590. „ *n.* 28. unde autumat a Romano Martyrologio hac ipſa die expungendum, „ & ideo forſan aliqui *Ingenui* pro *Genuini* inſcripſere. &c. Verum ſummi Viri Bolland. & Henſch. T. I. „ Febr. a p. 669. ad p. 675. Aƈta Collecta exhibent, quæ Genuini converſionem, exilium, & felicem obitum „ narrant, cujus corpus Sabione Brixinam una cum ſede Epiſcopali tranſlatum, ubi Eccleſia ejus honori & venerationi extruƈta &c. „ Hos ſequi malim una cum de Aſte quam Holſtenium & paucos alios Recentiores. Namque *æquum eſt* (inquit Honoratus a S. Mar. Animadv. in Reg. Crit. L. I. Diſſ. 2. ar. 5. §. 4. pag. mihi 75.) *memoriam Sanƈtorum ſervare, qui Eccleſiarum fundamenta jecerunt.* Præſertim ſi iiſdem vetuſtiſſimus ſuffragetur cultus, cujus primordia ignorentur. Quamvis enim multiplici experientia edoceamur, *inanes aliquando* (uti loquitur ſapientiſſimus hodiernus Pontifex Maximus Benediƈtus XIV. in eruditiſſima Epiſtula ad Epiſcopum Auguſtanum.) *inanes aliquando affeƈtatæ Sanƈtitatis larvas obtendi, atque etiam*

ſchmanni cenſorem, ſed aliquando pro re nata laudatorem, in iis videlicet in quibus mihi non videtur a veritatis tramite deflexiſſe, ſed potius vera aut ſaltem veriſimiliora pronuntiaſſe, quorum omnium velut indiculum ad Diſſertationis calcem ob oculos ponam, ne Auctor in illis, de quibus ſapienter diſſeruit, merita laude fruſtretur. Porro quum ipſe pari ornet ſanctitatis laude una cum Ingenuino Agnellum Antiſtitem Tridentinum, cujus nomen Tridentinis Faſtis adſcriptum nuſpiam legere eſt, vel in hoc ipſum religione pluſculum exceſſiſſe notabo. Quæ omnia exequi pro mea virili parte conabor, non quidem cultiori ornatiorique ſermone, ſed nec omnino oppidano ac barbaro, ne contemnar ab iis „ qui (ut ait Lactantius L. V. Divin. Inſtit. cap. 7.) „ nihil audire vel legere niſi expolitum ac diſertum volunt: nec „ quicquam inhærere animis eorum poteſt, niſi quod aures blandiori ſono permulcet. Illa vero quæ ſordida videntur, anilia, „ inepta, vulgaria exiſtimantur. Ideo nihil verum putant, niſi „ quod auditu ſuave eſt: nihil credibile, niſi quod poteſt incutere „ voluptatem. Nemo rem veritate ponderat, ſed ornatu. „ In quo qui-

iam ab animarum Directoribus, ob ſuos peculiares fines, eoſque interdum minus rectos, deprædicari & divulgari, atque ab eodem Pontifice didicerimus, *nihil frequentius eſſe, quam poſt mortem alicujus fidelis Viri, aut Mulieris, magnam ſanctitatis, vel miraculorum opinionem oriri, potiſſimum ſi ab aliquibus de induſtria rumor foveatur;* ſcimus tamen etiam, docente eodem Pontifice ſummo, id in antiquiſſimum Sanctorum cultum nequaquam quadrare; unde ille e veſtigio monet: *quæ tamen opinio, niſi veritate innixa ſit, vel ipſo temporis lapſu langueſcere & interire, vel etiamſi hominum artificiis aliquandiu ſuſtentari pergat, perſpicuis tandem Divinæ Sapientiæ conſiliis deſtrui, & confundi conſuevit.* Ita prælaudatus Pontifex, de quo haud diffiteri potuit Windheimius: *multis adficitur magniſque laudibus non a ſuis modo civibus, verum etiam a noſtris.* Cui quidem heterodoxo Scriptori abſit, ut, repudiata D. Ingenuini ſanctitate, vel poſt admiſſum ejuſdem nomen in Martyrologii Romani noviſſima Editione aucta & emendata ab eodem Pontifice, nova detur cavillandi occaſio, atque argutandi: *ergo Populus Romanocatholicus multos pro Sanctis colit, qui aut fuerunt nunquam, aut forte apud inferos improbitatis ſuæ pœnas luunt.* Id quod perperam deducit ex eo, quod inquit Clariſſimus Vir Lud. Ant. Muratorius, ſive, ut ipſe ſe ficto nomine adpellavit, Lamindus Pritanius de Ingen. Moderat. in Relig. Negot. L. I. c. XVII. *Neque privata Eccleſia, neque Eccleſia univerſa in tot Sanctis recipiendis, quorum nomina nunc in Martyrologiis occurrunt, eam adhibuere diligentiam, quæ nunc Romæ adhibetur, ut de eorum ſanctitate conſtet. Et tamen hi palam coluntur &c. alioſque hujuſmodi Sanctos Eccleſia olim toleravit, & adhuc tolerat &c.* Quæ verba in Ingenuini ſanctitatem nequaquam pugnare, vel inde fit palam, quod poſt multiplices Romani Martyrologii correctiones, adhuc Ingenuinus in eo audiat, & ſit Sanctus miraculis clarus. De quo plura infra ſuo loco.

quidem accepi Roschmanni phrasim, ut minus expolitam atque disertam, nasutis quibusdam haud admodum arrisisse. Sed jam quod instat, agamus; Lectore in antecessum præmonito, ne gravetur eadem a me sæpius audire, cum ad idem repetendum me necessitas quædam vel invitum compulerit, quo Adversario eadem sæpius oberranti chorda, velut iterato pulsatus, iterum iterumque responderem. Respondebo autem meo suppresso nomine, tum quia nimis obscurum, tum quia occulere illud docet quod unice in votis est, ut scribatur in Libro vitæ, tum etiam quia vereor, ne jure in me cudatur hæc faba: *Sus, Minervam*.

CAPUT I.

Discutiuntur Monumenta a Roschmanno retecta pro vindiciis Sabionensis S. Cassiani Præsulatus.

II. Itaque ab illo præprimis auspicatur cap. III. pag. 9. Œnipontanus nuperus Scriptor eruditus, ut adversus PP. Antuerpienses Actuum Sanctorum Collectores persuasum certumque faciat, primum nequaquam habendum Petrum de Natalibus sæculi XIV. Scriptorem, qui Sabionensem Episcopatum Cassiano Martyri a Prudentio laudato adjudicarit; cum optimæ notæ Codex pervetustus sæculi XIII. ab eodem Roschmanno in Bibliotheca Cœnobii San-Georgiani deprehensus, de S. Cassiano in hæc verba loquatur: *Cassianus primus Sabionensis Ecclesiæ, quæ nunc Brixina dicitur, Episcopus* &c.; cætera ex Prudentio hausta atque adeo minime repetenda testatur. Hujus codicis ab se auspicato reperti parentem certis ex indiciis agnoscit Bartholomæum Tridentinum sæculi XIII. Scriptorem, quem *Patriæ decus, ac domesticum testem* vocat *omni exceptione majorem;* atque huic in numerato fuisse antiquissimos Codices, ex quorum limpidis ac genuinis fontibus id hauserit, certo perhibet. Et quamvis satis ipsi non innotescat, an Codex nuper inventus habendus sit autographus, aut apographus, indubie tamen pronuntiat ætate scribentis auctoris confectum, ac propterea omni custodia, auro cedroque dignissimum. Codici huic alium subdit ætate parem aut supparem cap. XVII. a pag. 103 idipsum testantem. Item alia adtexit antiqua documenta

de

de hoc ipso fidem facientia cap. XVI. a pag. 83 cum primis Registrum, ut vocant, antiquum ex membrana in tabulario Capituli Brixinensis servatum, in quo Vitæ ac Gesta Antistitum ad annum usque 1418. descripta leguntur, nec non Breviarium membranaceum in Valle Œni superiore ab se itidem repertum sæculi XIV., quem quidem Codicem rursus impense commendat cit. cap. XVII. a pag. 92, ubi similia adglomerat ejusdem fere, sed jam inclinantis ævi, Documenta, nempe Breviaria, Missalia; Pontificalia, Martyrologia, Hymnos &c. His subnectit Antuerpiense Martyrologium an. 1425. ab ipso relatum cap. IV. pag. 15, nec non cap. V. pag. 19 perantiquam quingentorum annorum S. Cassiani imaginem, atque in supplendis ad calcem Lapidem orbicularem Templi Ratisbonensis, cui insculptus Thorax S. Cassiani una cum Mitra &c. an. 1311.

III. Verum enim vero cum omnia hæc minime antiquitatem superent sæculi, quo Bartholomæus Tridentinus claruit, haud majorem sibi conciliant fidem quam Bartholomæi ipsiusmet antiquitas. Hæc porro tanta non est, ut valeat a cordatioribus dubium omne amoliri. Etenim hospes profecto ac peregrinus in re critica sit oportet, qui nesciat sæculi XIII. barbariem, unde primordia duxere præfata documenta omnia, plures aniles fabellas in orbem invexisse, ac immodicæ credulitatis vitio laborasse. Non ergo tanta est sæculi XIII. antiquitas, ut fidem certam obtinere queat, ac secus mussitare nemo ausit, quin mox insanus ac perfrictæ frontis audiat, quibus elogiis onerat Adversarios suos ingenitæ alias sibi modestiæ immemor Roschmannus juratus adsertor vulgaris recentisque opinionis, cujus cæteroquin testem nullum hactenus, post evoluta ab se Diœcesis Brixinensis Documenta omnia, proferre potuit Bartholomæo Tridentino antiquiorem. Audiat Roschmannus Cl. Muratorium, cujus magnæ auctoritati non poterit non adsurgere, quum eam ipse magni faciat, ac sæpius adhibeat. Hæc enim scribit Lib. I. de Ingen. Moderat. in Relig. Negot. cap. XVI. „ Quæ enim monstra non irrepsere in „ veterum Historias? quæ conficta non fuere aut ab improbis, „ aut a piis impostoribus, ut Sanctis Martyribus, Confessoribus, „ aliisque Religionis Christianæ illustribus Athletis major veneratio & fama apud posteros quæreretur?..... Nam quo magis ignorantia & litterarum oblivio obtinere inter Christianos „ cœpit, eo securior facta est impostorum audacia, aut minus „ cauta aliorum credulitas. A quorum erroribus quum satis sibi „ non caverint piissimi alioquin & celebres Viri, factum est, ut

„ in

„ in ipſa Templa ..:.... in precum Libros .... penetrarint nonnunquam hujuſmodi commenta. Et quidem a Doctis Viris, „ & a Baronio præcipue, multum operæ collocatum eſt in purgandis Hiſtoriis, Martyrologiis, & Breviariis ab iſta fæce. Sed „ quæ in immenſum excreverat, nondum prorſus expurgari ſe „ paſſa eſt, & modo temeritas abſit, modeſtuſque Critices uſus „ in conſilium advocetur, noſtris futuriſque ingeniis erit heic „ in quo ſe utiliter adhuc exerceat. „

IV. Non ergo Œnipontano Auctori ſuffragatur, quod præmemorati San-Georgiani Codicis parentem ex certis indiciis ipſe detexerit Bartholomæum Tridentinum Dominicani Ordinis Scriptorem ac teſtem, ut ipſe inquit, domeſticum, a doctis omnibus, præſertim Tyrolenſibus, ſummo ſemper in pretio habitum. Quandoquidem eſto nonnihil æſtimanda ſit hac ſuper re non domeſtici ſed parum diſſiti Scriptoris auctoritas, utpote cui fidem adjunxerunt ſuam cum Petrus Calo Clugienſis ſive Foſſolodienſis ejuſdem Ord. Præd. in *Legendis de tempore & de Sanctis*, tum Petrus de Natalibus *in Catalogo Sanctorum*, eumque tuto ſe poſſe ſequi cenſuere, non tanti tamen, ut tota retro antiquitas ei faſces ſubmittere debeat (a), ac non magis æqua lance librata penſitet ex adverſo auctoritas, nedum Anonymi apud Mabillonium longe antiquioris, inter Sabionenſes Antiſtites primas dantis partes non Caſſiano ſed Ingenuino duntaxat, de quo poſtea; ſed etiam Prudentii priſci ejus Interpretis, Ennodii, Gregorii Turonenſis, Adonis, Uſuardi, Petri Damiani Notkeri San-Gallenſis &c., apud quos altum de Sabionenſi Epiſcopatu S. Caſſiani ſilentium. Sane Notkerus haud adeo a Brixina ſive Sabiona vel ipſe diſtabat, quin talem Epiſcopatum, ſi eo uſquam donatus reapſe fuiſſet Caſſianus, potuerit æque ac Bartholomæus Tridentinus,

(a) Quæ Bartholomæos noſter litteris conſignavit de geſtis Sablonenſium Antiſtitum, pluribus vitiata erroribus lectitari, obſervavit Cl. Bollandos in Actis SS. ad V. Februarii de S. Ingenoioo Comment. Hiſt. §. I. nom. 3. ac §. II. num. 12. Monuit etiam vir eruditos ac doctus Hieron. Tartarottos in Opuſculo *Memorie Iſtoriche intorno alla Vita e Morte de' SS. Siſinio, Martirio ed Aleſſandro* pag. 63 hunc ſæculi XIII. Scriptorem haud multam mereri fidem in iis ipſis, quæ de præfatis Martyribus exarata reliquit. *Onde* (inquit) *ſi può dar loro quella fede, che merita uno Scrittore del Secolo XIII., il quale ſcriva benſì di coſe del ſuo paeſe, ma avvenute tanti ſecoli avanti di lui; ch'è quanto a dire, pochiſſima, ſe non quanto s'accorda co' documenti originali, e ſicuri*. Certe Geſta ipſa S. Vigilii, ac Matris ejus S. Maxentiæ, tum quoque S. Romedii, apud Bartholomæum ipſum, multis haud vacant mendis, quæ non eſt hujus loci commemorare.

tinus, exploratum habere; neque diffiteri potuit prælaudatus Petrus Calo Clugienſis hac ſuper re hiſtorica auctoritatem Prudentii, Petri Damiani, ac Uſuardi, qui Præſulatum Sabionenſem S. Caſſiani ſe omnino ignoraſſe demonſtrant, longe præponderare. Unde in *Legenda S. Caſſiani* exorſus ab ejus nomine ita præloquitur: „ Cujus Vitam & Paſſionem Prudentius Hiſpanus Poe„ta eximius verſibus executus eſt. Et Petrus Damianus pri„mo probatiſſimus Monachus, deinde Hoſtienſis Epiſcopus, „ pulchro ſtilo digeſſit. Uſuardus quoque Monachus, Regis Ca„ roli Capellanus in ſuo Martyrologio breviter idem ſcripſit (a)„ Certe Calo nullum teſtem Sabionenſis Epiſcopatus S. Caſſiani Fratre Bartholomæo antiquiorem potuit adducere.

V. Nec antiquiorum Sancti Martyris præconum, quos modo commemoravimus, auctoritatem elevat illud, quod Roſchmannus reponit cap. V. pag. 18. omnes ſcilicet ante Bartholomæum Scriptores de Caſſiano agitantes ſua ita ad ſolum Prudentium adtemperaſſe elogia, ut fere ipſiſſima ejuſdem verba uſurpare, proſamque ſuam omnem ex illius carmine adornare conſueverint: cum hinc potius conſequens illud ſit, elapſis ante ſequiorem Bartholomæi ætatem ſæculis, Acta Prudentii haud habita fuiſſe mutila, ac manca, ſed omnium quidem cæterorum longe antiquiſſima juxta ac abſolutiſſima, nulloque proin additamento (cujuſmodi illud de Sabionenſi Epiſcopatu videtur) plane exotico temeranda. Ab his porro cum ne latum quidem, ut ajunt, unguem deflexerit ipſum Martyrologium Romanum, fruſtra profecto ſit, qui inſuper cum Roſchmanno pag. 18. aliquid quærat. Hercle Ruinartius in Actis Selectis Martyrum Acta Prudentii de S. Caſſiano Martyre, inſtar cæterorum omnium, unice proponenda exiſtimavit. Sed de hoc infra rurſus redibit ſermo, quum diſcutiendi inficialis argumenti ſe ſe præbebit occaſio.

VI. Il-

(a) Hanc *Legendam* de S. Caſſiano una cum *Legenda* de S. Ingenuino mihi tranſcribendam curavit vir eruditiſſimus, mihique amiciſſimus, Joannes de Auguſtinis Ord. Min. Reg. Obſerv. ex Volum. I. part. 2. Lib. 2. ſign. 644. nec non ex Volum. I. part. I. Lib. 2. ſign. 642. Operum Petri Calo Clugienſis, quæ in Bibliotheca Conventus SS. Joannis & Pauli Ord. Præd. Mſs. ſervantur. In Grammatophylacio ſive Archivio Conventus S. Auguſtini Patavii, ut habet Valerius Moſcherta in *Hiſt.* MS. illius Conventus Dominicanorum, reperitur Cali memoria uſque ad annum 1340. Cali Opus 6. grandia Volumina in folio pergameno complectitur. De hoc Auctore ejuſdem inclytæ Ordinis Prædicatorum cum Bartholomæo Familiæ legenda Diſſertatio prælaudati Tartarotti *de Auctoribus ab Andrea Dandulo laudatis in Chronico Veneto* §. XIX. Proſtat Tom. ult. Rer. Italic.

VI. Illud etiam non prætereundum silentio, quod si Auctor San-Georgiani Codicis omnia mutuatus fuerit ex Prudentii Carmine, præter unum titulum, quo sic exorditur: *Cassianus primus Sabionensis Episcopus* &c. uti vult Roschmannus; planum fit, non ergo Acta Prudentio inexplorata illum habuisse sibi comperta, cum de cæteris omnibus nihil se nosse palam ostendat, præter id quod a Prudentio ipso didicerat. Unde autem, sodes, accepisse credendus est, quod ipse ceu purum putumque titulum de Sabionensi Episcopatu unice adjiciendum curavit? Reliquum nihil est, nisi ut traditionem quandam (quemadmodum sæpe fieri amat) tunc temporis vigentem sequutus adsuendas crediderit Prudentianis Actis Sabionenses Cassiani infulas, ut quæ potissimum diu inolita opinione nituntur: quam tamen opinionem, ceu ad extorquendam fidem haud satis antiquam ac firmam, tametsi ne quidem omnino novitiam ac contemptui habendam, nec adprobare, neque reprobare ausus est Walasserus a Roschmanno relatus cap. II. pag. 6. in suo Martyrologio Canisiano, unice contentus efferre: *Putatur Cassianus hic Brixinæ natus, & Sabionensis Antistes fuisse* &c. Sicut autem falsa deprehenditur ea opinio, sive traditio, quatenus spectat Cassiani ortum in Urbe Brixinensi, falsi quoque, saltem citra temeritatis notam, postulari potest, quatenus respicit ejusdem Cassiani Episcopatum in Urbe Sabionensi: ut proin haud injuria quis dixerit, id egisse Bartholomæum Tridentinum cum Actis Prudentii, quod Antuerpiensis Martyrologii interpolator cum Actis Usuardi, atque in utrisque adscititiam futuram palam ostendi. Nam quemadmodum in Actis S. Cassiani apud Usuardi Martyrologium neque vola neque vestigium est de Sabionensi S. Cassiani Præsulatu; ita in Actis apud Prudentii Hymnum nullum penitus de eodem indicium elucet.

VII. Haud eo inficias, Bartholomæum nostrum a Radero, ipsisque Antuerpiensibus, haud semel laudari, eumque testem esse longe locupletissimum in iis, quæ de gestis sui temporis, suæque præsertim Diœcesis Tridentinæ rebus sibi coævis, Litteris consignavit, ac in iis quoque, utut ab se longiori ævo remotis, quæ ex primigeniis fontibus accepta posteritati mandavit: ast enim, haud diffitente ipso Roschmanno, ambigendum non sit, universam Martyrii S. Cassiani seriem fuisse a Bartholomæo ipso ex Prudentii Carmine depromptam, uno excepto Sabionensis Episcopatus additamento; perspicuum fit, illi in numerato minime fuisse antiquissimum Codicem a Prudentii Hymno di-

ſtinctum, cui fides jure ac merito adhibenda ſit, neque proin hujuſmodi eſſe Codicem a Roſchmanno repertum, qui magnam fidem, ut ipſe venditat, mereri queat, ac velut decretorius cenſeri debeat pro lite, quam in præſentia verſamus, poſtremo finienda.

VIII. Accedit, quod additamentum illud, a quo exordium ducit Martyrium S. Caſſiani a Bartholomæo noſtro deſcriptum, vel inde novitiam fœturam præſeferat ab antiquitate longe remotam, quod Brixinæ mentionem injiciat, quæ vix aut ne vix quidem ante decimum ſæculum, ceu Urbs circum cincta muris, innotuit, ipſo Roſchmanno teſtante cap. V. pag. 16. (a) unde ſicut ea verba *quæ nunc Brixina dicitur* a pervetuſto Codice, qui Bartholomæi ævo multum præextiterit, derivata minime ſunt; idipſum de cæteris quoque, nempe *primus Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopus*, cenſendum mihi videtur, altiorem ſcilicet ejuſdem Bartholomæi ſæculo originem, aut ſaltem multo antiquiorem, nequaquam habere.

IX. Diſpiciendum quoque, nihil habere Roſchmannum, ut de Tridentino Bartholomæo, integro ſæculo Petro a Natalibus antiquiore, ab ſe invento, glorietur; cum ejuſdem Bartholomæi Codicem, ſin minus San-Georgianum, ſaltem Barberinum de Sabionenſi Epiſcopo Caſſiano differentem, primus repererit celebris D. Hier. Tartarottus; qui tamen in Differt. *de Origine Eccl. Trident.* Bartholomæi auctoritate nihil motus non dubitavit Sabionenſem Præſulatum Sancto Imolenſi Martyri abjudicare, atque refellere. Sane ſi Acta S. Caſſiani, ut Roſchmannus autumat Bartholomæus ex Prudentio derivavit, illum pannum, quem de Sabionenſi Epiſcopatu iiſdem adſuendum exiſtimavit, non ex Codice alio longe vetuſtiore decerpſit, ſed ex ea, ut modo dictum, ſequiora ſub tempora enata traditione, quæ anſam fortaſſe arripuerit adſcribendi primum Sabionenſem, modo Brixinenſem, Epiſcopatum S. Martyri Foro-Cornelienſi, propterea quod Eccleſia illa ut Principem ac Tutelarem Patronum eum ſemper ſuſpexerit atque coluerit.

X. Neque ſolus Tartarottus, quem amicitiæ ergo, ac honoris cauſſa nomino, ſed & magnus Baronius, qui in Not. ult. ad

5. Febr.

(a) Haud abſimili ratione utitur Raderus Tom. 1. Bavar. Sanct. ut oſtendat Acta Bellunenſis Eccleſiæ, quæ 20. Jul. S. Lucanum veneratur, quæve tradit ipſum *Brixinenſem* Antiſtitem, Cœleſtini I. P. M. temporibus, extitiſſe, metachroniſmum præferre, cum necdum tunc Sabionenſis Epiſcopatus Brixinam eſſet translatus.

5. Febr. Martyrol. Rom. haud ignoraſſe videtur Bartholomæi noſtri Codicem, nihil ejuſdem Bartholomæi auctoritatem moratus, cenſuit, non S. Caſſianum, ſed Ingenuinum Sabionenſi Eccleſiæ primum præfuiſſe, cum ab eo diſerte Ingenuinus ibidem vocetur *prior Epiſcopus Sabionenſis*. Quodve Bartholomæus neutiquam illius ſit nec antiquitatis, neque auctoritatis, ut fidem vel in gratiis extorqueat; illud etiam evincit, quod in San-Georgiano Codice fol. 72. a tergo *Caſſiani*, illud in S. Martyris Imolenſis Actis, quæ Bartholomæus contexuit, contineatur, quod, ut iterum dicam poſtea, ipſus Roſchmannus nullatenus probat, nempe quod Forum-Cornelii ductus fuerit ab iniquis, atque a diſcipulis in ætate puerili conſtitutis dire interemptus, quorum neutrum Auctor admittit; cum velit pag. 81. eo potius fuga fuiſſe delatum, ac pag. 83. perpeſſum fuiſſe cruentam mortem ſibi manu adoleſcentum maturiorum illatam: ut illud prætercam, Caſſianum juxta Acta Bartholomæi, coram Judice Foro-Cornelienſi interrogatum, hanc emiſiſſe profeſſionem, non quidem ſe eſſe aut fuiſſe munere Epiſcopum, ſed duntaxat *Chriſti militem*, ex officio vero *Scholarium præceptorem*. Neſcio etiam quibus fultus tabulis ſcripſerit Bartholomæus de Caſſiano: *Peractis ſtylis Confeſſor Chriſti ſecatur, alii vulnerant, alii corpus transfigunt Magiſtri..... minutis rupta cute vulneribus mortis tranſitum vir ſanctus gladio ſolvit* &c. nihil enim de hoc, quod tandem gladio fuerit aut detruncatus, aut transverberatus, habet Prudentius, tametſi graphice ac per hypotypoſim ejus *inſigne martyrium*, ut ait Baronius, *mortem*, ut Bembus, ac *mortis ſententiam*, ut Lipſius inquit, cecinerit. Conformis eſt tamen Bartholomæus Prudentio in eo, quod de Valeriano perſecutore, ac claritate Parentum nihil adtigerit. (*a*)

XI.

(*a*) Mirum, Roſchmannum uſque adeo extollere Bartholomæi Tridentini auctoritatem, cum tamen ea, quæ narrat apud Petrum de Natal. in Catal. SS. L. 3. c. 86. de S. Ingenuino *Secundo Sabionenſi Epiſcopo*, ut ipſe vocat, ei minime probari poſſint; præſertim cum inſuper manifeſtum errorem ex Paulo Diacono derivatum circa veram Aquilejenſis Schiſmatis Hiſtoriam redoleant. Nonne Bartholomæus apud eundem Petrum crimine hæreſeos infamat Joannem Archiepiſcopum Ravennatem, quem etiam, ceu Romanæ Eccleſiæ contemptorem, ſuggillat; Joannem, inquam, illum Antiſtitem doctiſſimum, cui & Sanctus Gregorius Magnus Libros de Cura Paſtorali ſtatim Pontifex nuncupavit, ac tot Litteras dedit, ejuſque morti ſe indoluiſſe teſtatus eſt L. 4. Epiſt. 23? Hunc Pauli errorem poſt Bartholomæum ne dum ſequutus eſt Petrus Calo, verum etiam Petrus ipſe de Natalibus, de quo haud injuria ſcripſit Voſſius de Hiſt. Lat. pag. 600. „ Petrus de Natalibus „ veritatis ſtudioſior, ac omnino dili-
„ gentior

XI. De San-Georgiano Codice ſatis. Age nunc videamus, an documenta cætera ab Auctore Œnipontano producta authentica ſint, atque ad fidem faciendam idonea. Si ex judicio Brixinenſis Eccleſiæ de iis arbitrari volupe fuerit, flocci nihilique æſtimanda hoc ipſo ſunt, quod eorum ad inſtar minime elaborata ſint Acta, queis modo Eccleſia ipſa Brixinenſis utitur. Ex quo ita licet arguere Scholarum more: Si qua modo haberet Eccleſia Brixinenſis documenta ſatis apta ad adſtruendum S. Caſſiani Sabionenſem Præſulatum, ea potiſſimum eſſent, quæ ipſa delegit, quæque ipſa uſurpat die Sancto Martyri ſacra: ſed hæc juxta Roſchmannum cap. XVIII. pag. 3. corrigenda potius ſunt, quam adhibenda ad fidem faciendam; ergo multo magis nulla habenda ratio cæterorum omnium, quæ hactenus inter membranas conſepulta ac penitus exoleta jacuere, ſolis blattis tineiſque pervia, nec niſi Roſchmanni ſtudio a temporum injuria redempta, ac in apricum educta.

XII. Inſuper percontari lubet, an traditio, qua ſuffulcitur Sabionenſis Epiſcopatus D. Caſſiano adjudicatus, conſtans ſit, antiqua, atque ex limpidis fontibus, non antem ex lutulentis ac turbidis hauſta, adeoque ad obtinendam fidem cenſenda ſit omnino

„ gentior eſt, quam Jacobus de Voragi- „ ne. Interim Petrum hunc quoque in „ aliquibus cum judicio legi debere me- „ rito cenſet Vaſæus in Chron. Hiſp. „ c. 5. „ Quod ipſum monuit quoque Roſchmannus in Notis ad cap. 29. in Vit. S. Valent. pag. 159. Quodve mirum magis idem immanis error adhæſit quoque Sigonio, Panvinio, Rubeo Hiſtoriæ Ravennatis Scriptori, Palladio, Ughellio, iis qui Sancti Ingenuini Acta perſcripſere, ſacris officiis precum Eccleſiæ Brixinenſis in Rhætia, ipſiſque muris Patriarchalis Aulæ Utinenſis, adeo ut parietes ipſi ejuſcemodi *fabulas cantent*, uti notat magni nominis Noriſius Differt. Hiſt. de Synodo quinta Cap. IX. §. IV. Et quod adhuc mihi mirabilius videtur in ſimilem errorem incidit quoque ante Bartholomæum Maxentius Patriarcha Aquilejenſis in Libello Supplici oblato Patribus Mantuanæ Synodi an. DCCCXXVII. uti patet ex hæreſeos nota Candidiano tria damnanti Capitula, quintæ Synodo conſentienti, ac Romanæ Eccleſiæ adhærenti, ab eodem temere adficta. Verum enimvero ex hoc errore minime duxiſſe ortum S. Ingenuini olim Schiſmati Aquilejenſi addicti cultum; inde evincitur, quod alias Metropolitis ipſis Aquilejenſis conflati Schiſmatis præcipuis incentoribus multo majori ratione ſimilis cultus ex eadem cauſſa obveniſſet. De quo infra. Ex ſupra dictis etiam patet, nequaquam concedendum Roſchmanno pag. 9. quod *Bartholomæus Tridentinus præter illud, quo de S. Caſſiano orditur: Caſſianus primus Sabionenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cætera hauſerit ex Prudentio*; ex hoc namque illud mutuari certe non potuit Bartholomæus, quod *mortis tranſitum vir ſanctus gladio ſolverit*. Neque ex hujuſmodi Roſchmanni adſertione, quam, ut ajunt, *ad Hominem*, argumentum in eundem inſtriximus.

nino efficax, uti pertendit Roschmannus? si hujusmodi porro fuerit, non autem similis illi populari traditioni, cui pag. 81. nimis credulum se se prodere videtur idem Roschmannus ajens: *monstratur adhuc hodie Sabionæ turris olim religiose culta, ubi ab infidelibus captus detinebatur Sanctus Præsul, monstratur vestigium pedis rupi prodigiose impressum: quin etiam catenas ferreas, quibus vinctus in ergastulo delituit, olim non sine veneratione adfuisse ab idoneis testibus accepi;* rursum sciscitor, cur ergo Ecclesia Brixinensis tam puris fontibus valere jussis, a fæculentis lacunis corrivaverit Acta illa, quæ modo ipsi in deliciis sunt, eo immani inter cætera commento deformata, quod Sanctus Martyr ordinatus fuerit Sabionensis Antistes a Patriarcha Aquilejensi, nempe Fortunatiano (teste Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis) secta Ariano? Nonne commentum hoc explosit Baronius in Notis ad diem XIII. Augusti inquiens: *Non assentior* (loquitur de S. Cassiano, quem per errorem Brixiensem Antistitem vocat, cum potius Brixinensem dicere debuisset) *a Fortunatiano Episcopo Aquilejæ fuisse ordinatum, quem constat vixisse temporibus Constantii Augusti, & secta fuisse Arianum?* Et quamvis in ea sit opinione doctissimus Rubeus in Monument. Eccl. Aquilejens. cap. VI. num. VII. col. 4. haud esse tam facile dicendum, fuisse Arianorum consortio fœdatum Fortunatianum, ac secta, errore intra & extra cutem, interioreque conscientia, fuisse Arianum, nec non in medio relinquat, num Cassianus a Fortunatiano Aquilejensi Episcopus Sabionensis fuerit initiatus ante annum 355., quo tempore idem Fortunatianus fidem Nicænam, ac innocentiam Athanasii invicto celsoque tuebatur animo; extra tamen omnis controversiæ aleam esse debet, quod apud Aquilejenses Antistites ante Schisma, ipsius Schismatis tempore, ac diu post (docente eodem Rubeo in Differt. Hist. de Schism. Eccl. Aquilejen. cap. XXII. a pag. mihi 208.) fuerit prorsus ignotum Patriarcharum nomen; ac posita ea ordinatione tam prope absuisset Prudentius a martyrii a se descripti, ac sub Juliano Apostata consignati tempore, ut de pictura illud præsignante minime cecinisset:

Historiam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetusti temporis monstrat fidem (a).

Siccine

(a) Libros & vetusti temporis fidem Prudentius adlegat: quo rite utuntur versiculo Clarissimi Bollandistæ, Celsissimus Crosinus, Burgklechnerus, aliique apud Roschmannum pag. 121. pro refellenda sententia eorum, qui sub Juliano passum adfirmant. „Natus enim „ est (scite adnotat idem Roschmannus „ cit.

Siccine ergo dicta Ecclesia, utut alias, si Roschmanno fides, depositi custos, ac avitæ traditionis-tenacissima, tum etiam rerum omnium, quæ Prudentius ignoravit, scientissima, antiquari, ac natalitiis tenebris involvi permiserit genuina germana ac primigenia Acta, Roschmanni Opera ac diligentia nuper in lucem edita, spuria autem ac mendosa adoptaverit, suisque Libris Liturgicis inseruerit? Aut igitur primæva ac sincera non sunt documenta a Roschmanno non ita pridem detecta, aut plane deliravit (sit verbo venia) Ecclesia Brixinensis, quæ veris Actis neglectis, minus veridicis ac in plerisque vitiatis inhæsit hactenus, atque adhuc inhæret. Sublestæ itaque admodum fidei, aut saltem non satis certæ sunt documenta omnia, quæ Sabionensem S. Cassiani Episcopatum testantur. Illa quidem, queis modo utitur Brixinensis Ecclesia, utpote notatis erroribus scatentia, tum ea quoque a Roschmanno eruta, utpote a Brixinensi Ecclesia jam diu neglectui habita, oblivionique tradita. Præsertim cum in iis omnibus desideretur illud veræ Historiæ indicium, de quo Joseph L. I. contra Appion.: *veræ Historiæ indicium est, si de iisdem rebus omnes eadem dicant atque conscribant.*

XIII. Ne injuriâ id dictum quis putet de Actis a Roschmanno laudatis, operæ pretium existimo, ea ad trutinam revocare, criticisque animadversionibus pensitare, quæ nempe ipse profert cap. XVII. a pag. 92. ex Codice membranaceo ab se exscripta. Probo autem in iis multas esse falsæ, novitiæ, ac imperitæ manus notas. Cum primis in iis Cassianus dicitur *Corneliensis Oppidi indigena*, ubi Sabiona secus *Civitas* nuncupatur: quasi vero longe præstantior semper non fuerit Urbs Foro-Corneliensis Urbe seu potius Oppido sive Arce Sabionensi. Nimis obscura videtur Sabiona Foro-Syllæ comparata, ut illa *Civitas*, hoc *Oppidum*

„ cit. pag.) Prudentius, ut ex Gennadio de Viris Illustribus, imo ex disertis Ipsius Prudentii verbis constat, „ sub *Salia* Consule, idest anno Christi 348. Periit Julianus, teste Idatio „ in Fastis, Coss. Juliano Aug. IV. & „ Sallustio. *His Coss. occisus est Julianus*, inquit, *in Bello Persico die* „ *VI. Kal. Jul.* anno nempe Salutis „ 363. ut vult Pagius in Diss. Hypatica. Factus eodem teste hic Julianus Cæsar anno 355. & Imperator „ anno 360. a pag. 256 & seqq. Si igitur sub Juliano Imperatore, ut vult „ Proprium Brixinense, aliique passus „ est S. Cassianus, id ante annum 360. „ non contigit, quo anno jam proximus „ adolescentiæ fuit Prudentius, & sic „ rem suo tempore peractam non vocasset Historiam antiqui temporis, „ aut Æditiuus ex Libris illi Martyrium enarrasset, sed ex fide Parentum suorum, aut Civium, quorum „ aliqui, præcipue coævi, id certo scivissent, & ex his Æditiuus. „

pidum dictitari nequaquam possit. *Feltrinos*, *Tridentinos*, *Berunenses*, sive ut interpretatur Roschmannus pag. 154. *Breonenses*, seu Sabionenses, *Rhætica Oppida* nuncupat Plinius L. 3. c. 19. Ac testatur Tacitus de Mor. Germ. *Nullas Germanorum populis Urbes habitari satis notum est*. Neque ea est antiquitate ac elegantia Codex, ut hujusmodi vocabula pro Synonymis sumpsisse videatur, uti a Priscis accipi haud semel consuevere (*a*). Certe Fori-Cornelii sive Fori-Syllæ *Urbem* diserte nominat Prudentius in exordio Hymni de S. Cassiano ita canens.

Sylla Forum statuit Cornelius hoc Itali *Urbem*
Vocant ab ipso Conditoris nomine

Ejusdem antiquitatem atque præstantiam probat Leander Albertus in Descriptione Italiæ pag. mihi 262. a tergo Edit. Venet. MDLI. ex Strabone, Plinio, Procopio, Ptolemæo, Cicerone, Antonini Itinerario &c. Quæ Urbs, cur postea *Imola* nuncupata, demonstrat ex Blondo. Videsis. Haud negaverim, celebre quoque fuisse olim Sabionæ nomen, atque jam inde inclaruisse a sæculo IV., quo inclinante absolutum est Antonini Itinerarium, perfectaque Tabula Peutingeriana, quæ ejusdem meminere; ast Plinius de *Sablavione*, *Subsavione*, *Sabione*, *Sabiona*, *Sebana*, aut quocumque demum vocitetur nomine, de ipsa, uti quoque de *Veldidena*, nihil habet, cum tamen *Aguntum* diserte laudaverit. Civitas nomine Sabiona sita ibidem dicitur *in Provincia Noricorum, quæ vulgo Bavvaria vocatur*. Rursus Bavvariæ nomen ab antiquæ Geographiæ phrasi procul abest. Certe Hansizius in Prolegom. de veteri Juvaria, Ortu, Incrementis, Opibus, &c. scribens pag. 7. sub num. XIII. Sabionam non Civitatem sed Castrum vocat ajens: *Castrum erat vetus Sabio seu Sabiona, ex quo deinde translata sedes ad Oppidum Brixentum seu Brixinam, appellata Brixinensis, hodieque celebris in Comitatu Tyroleos*. Ac Velserus Rerum Boicarum L. 2. pag. mihi 76. observat, quod qui Scriptores paulo vetustiores sunt, *Bojoarios*, & *Bajoarios* præferant, adeo ut *Bavariæ* nomen posterioribus penitus debeamus: atque illud posteriorum sæculorum dialectum esse barbaram notat

(*a*) Maffejus Veron. Illustr. L. 5. col. 100. *La voce* Oppidum, *benchè sia stata usata più volte nello stesso significato di* Città, *più spesso però, e* propriamente, *dice Aldo il giovane*, significa qualche cosa di meno. *Di questo vocabolo ben parlò Papia, conchiudendo valor* Città piccola: *e così le rendono le Glose in Greco. Cicerone chiamò il rozzo stile* oppidano *&c.*

tat quoque Roschmannus pag. 88. Sed præstat audire Jo. Aventinum in exordio Annalium Bojorum „ *Bavarus* (ait) nomen „ barbarum, obscœnum, inauspicatumque, semidocto vulgo pro- „ tritum, recens est, nuper ab imperitis usurpari cœptum: nec „ Latinum, nec Germanicum. Nusquam apud Veteres, nus- „ quam in vetustis exemplaribus, monumentis, Litteris, Epi- „ stolis, Legibus, Tabulis, Diplomatibus, invenio: quæ omnia „ lingua Romana scripta sunt ..... semper *Bojoarios*, aliquando „ & *Bojarios* scriptum lego. *Babariæ* quidem vocabulum post „ Carolum Magnum, ejusque nepotes, a privatis Litteratoribus „ (ut sunt mores eorum) additum est ...... Equites Patres- „ que semper *Bajoaria* interim & *Bojaria*, & scripserunt, & di- „ xerunt: pedetentim vicit pertinacia Grammaticorum, *Babaria* „ paulatim irrepsit, *Bajoariam* atque *Bojariam* extrusit, ac tan- „ dem publice recepta est ..... *Bavarus* vero post Imperatorem „ Fridericum Secundum demum natus est ...... Quos itaque „ vulgus litteratorum *Bavaros*, nostri Scriptores *Bojoarios* & *Bo-* „ *jarios*, prisci Græci & Latini *Bojos* appellare solent. „ (*a*) Tum Cassianus vocatur *Parentibus nobilissimis procreatus*, id quod difficile componi potest cum hoc, quod inibi vile, aut saltem parum honorificum, clarissimisque natalibus minime respondens, munus obierit, dum litterarium ludum aperuit, ac pueros instituendos suscepit: quod sane juxta scita Sacrorum Canonum, de quibus infra, dedecet virum nobilissimum, vel maxime Episcopum. Appellatur quoque *ab ipsis infantiæ institutis Scholarum studiis applicatus*, in quibus tamen parum profecisse videtur, si ad pueros ex ephebis nondum egressos, primis elementis imbuendos, duntaxat longo studiorum labore pervenerit. *Missus* in Urbem Sabionam scribitur, sed a quo, an videlicet a Mediolanensi, an potius ab Aquilejensi, sive a Romano Pontifice eo directus fuerit, qui conjectare velit, plane ariolatur, haud secus quam ille, de quo Cicero 2. de Div. cap. 65: *Defert ad conjectorem quidam somniasse se*, ac Plautus Curcul. 2. I. fin. *Potin' conjecturam facere, si narrem tibi, hac nocte quod somniavi dormiens?* Refertur per ejus in dictam Urbem adventum contigisse, ut illius

(*a*) Adnotavit hoc ipsum Cluverius Introduct. in Geograph. Germ. L. III. cap. IV. pag. mihi 159. *nomine nunc vitiato Bavari, superioribus seculis Bojoarii & Bojuvarii*. Hinc *Bojodurum* apud Danubii OEnique confluentes, quod nomen accepit a Bojorum trajectu, qui a Marcomannis e Bojohaemo pulsi in has oras trasmigrarunt.

lius incolas *orthodoxa fide imbueret*, *sacro fonte abluens*, *primus inibi factus Apostolus;* Quasi vero in barbara ac superstitiosissima Urbe, quæ nihil hactenus aut parum saltem de Christo humani generis Servatore audierat, nullos offenderit fidei disseminandæ obices, sed animos invenerit ad ipsam suscipiendam optime comparatos, multoque felicior censenda sit Sabiona aliis multis ipsius Italiæ Civitatibus, puta Verona, Brixia, Novocomo, Mutina, Tridento &c., quæ, ut habent præclari Fratres Ballerinii Dissert. III. cap. 1. §. II. Oper. S. Zenonis Episc. Veron., sæculo duntaxat IV. in Ecclesiæ pace, eversis prorsus Idolis, pene totæ (quod ante non contigerat) Christo nomen dedere. Narratur, quod *irruentibus interim Gentilibus in eandem Urbem*, *ipsam depopularunt;* velut fieri potuerit, ut persecutionis tempore, quo Ethnica superstitio grassabatur, esset reperire Urbem, in Montanis Provinciæ Noricorum sitam, a qua ne dum pagana omnis superstitio exularet, verum etiam qui in ea summa rerum potirentur, Christiano omnes penitus censerentur nomine; cum tamen certum sit, S. Vigilii Tridentinorum Præsulis ætate, restituta jam diu Ecclesiæ pace, cum Urbem, tum Diœcesim, fuisse Gentilibus hominibus oppido confertam. Fieri etiam potuerit, ut cœco in eam impetu irrumpentibus Gentilibus, ipsamque devastantibus, nec unus e Christianis cruentam pro Christo mortem oppetierit, nullus pro eo sanguinem fuderit, sed impotens alias furor usque adeo se se continuerit, ut non nisi unus eorum Antistes Cassianus exilio quam mitissimo mulctaretur. Hinc subditur, depopulantes Gentiles *eum abduxisse in Civitatem*, *quæ Imola dicitur:* novum exilii genus patria postliminio redonari, ac barbarum solum cum amœniori cœlo mutare. Novum etiam *Imolæ* vocabulum, quam ut ex pervetusta Geographia altius sit repetendum. Hinc in Actis S. Cassiani apud Cod. San-Georg. æque novitas nominis Imolæ, ac Brixinæ, indicatur his verbis: *Cassianus primus Sabionensis Ecclesiæ*, *quæ nunc Brixina dicitur*, *Episcopus*, *in Forum-Cornelii*, *quæ nunc Imola vocatur*, *ducitur* &c. De novo Imolæ nomine Paul. Diaconus Lib. 2. de Reb. Longobard. c. 18. ac Sigonius ad an. 575. in Hist. de Regn. Ital. Adtexitur fuisse inibi *Scholaribus præfectum*. Itane Gentiles suos pueros instituendos tradiderint exuli Episcopo, Ethnicæ superstitioni, pro qua velut pro aris focisque pugnabant, omnium infensissimo? Subjicitur quoque, *ejus vitam & mortem luculenter descripsisse Prudentium*. Ergo Acta S. Martyris puriora, quam a Prudentio, obtineri neutiquam possunt, neque proin fas est di-

cere cum Roſchmanno cap. IV. pag. 14. *Prudentium noluiſſe Hiſtoriam aut Acta texere S. Caſſiani.* Certe S. Petrus Damianus in ſermone de S. Caſſiano Martyre ita ſuum ad Prudentii carmen elogium adtemperavit, ut ex Hiſtoria retuliſſe dixerit, quæ de illuſtri Martyre litteris ipſe mandavit. Unde martyrio ab ſe deſcripto ita præfatur: *Beatus itaque Caſſianus, ut geſtorum illius narrat hiſtoria, dum ſcholarum Doctor exiſteret* &c. Neque S. C. R. die 12 Sept. 1733. Dominica 2. poſt Paſcha aliud Officium S. Caſſiani Martyris Eccleſiæ Brixinenſis Patroni univerſo Clero Diœceſis Brixinenſis recitandum indulſit, quam ex Hiſtoria verbotenus exſcriptum, in eodem S. Petri Damiani Sermone contenta, in qua nihil penitus videre eſt de Sabionenſi Sancti Martyris Præſulatu. Quid? Nonne Roſchmannus ipſe fatetur pag. 73 loquens de Actis ac Hiſtoria S. Alexii comparate ad Acta & Hiſtoriam S. Caſſiani „ Monumentum porro ipſum primum ac „ princeps inſtar Hymni Prudentiani de S. Caſſiano noſtro, Ca- „ non ſeu Canticum ſacrum eſt, quod S. Joſephus (qui anno „ Salutis 848. Conſtantinopoli Sanctorum Vaſorum cuſtos fuit) „ in honorem hujus Sancti concinnavit, *ad quod, ceu antiquiſſi-* „ *mum ac præcipuum monumentum, tota Sancti* (celebris nempe „ Divi Alexii 17 Julii occurrentis) *Hiſtoria prout vulgo circumfer-* „ *tur*, exigenda eſt: pro ut hæc omnia fuſe ipſi Cl. Cl. P. P. „ Antuerpiani in Actis hujus Sancti d. IV. Julii tradunt. „ An non hinc conſectarium illud eſt, ad Prudentianum quoque de S. Caſſiano Canticum, omnem de eo Hiſtoriam exigendam? Laudantur ii verſus:

Vox Patris almivoma Chriſtum docet in Sabiona,
Imola transfixum graphiis ſic immolat ipſum.

Et Rhytmi:

Nam quem Sabiona primum Prædicatorem recepit,
Hunc Imola diris vulneribus Chriſti Martyrem fecit:

quorum inconcinnitas ſæculi, quo ſcripta ſunt, barbariem plane produnt. Ac quantum diſtant a Prudentio elegantia, tantum quoque tempore procul eſſe ab ipſo videntur: utut ſit de tempore, quo verſus Leonini obtinere cœperint, ac quo vox *Almus* (unde *Almivomus*) uſurpari conſueverit. Quod autem vox *Almus* ſæculi IX. partus videatur Roſchmanno pag. 101. tam falſum eſt, quam verum fuiſſe adhibitam a Cicerone, Virgilio &c. Neque proin ex ea ſola barbariem ſæculi, quod recitatos verſus ac Rhytmos pepererit, colligimus. Tum ſi vox *Almus* ſeu *Almivomus* ſæculi IX. partus ſit, qua fronte ipſe poſtea ſcripſit pag.

143

143. de præfatis verfibus & Rhytmis: *Haud difficulter mibi concedendum puto, hos quoque verfus Leoninos ad fæculum VIII. cum reliquo Breviario pertinere, ad tempus nempe reftauratæ per Theodorum II. Sedis Sabionenfis*. Profecto Bavvariæ nomen in eo Breviario ufurpatum tantam aniquitatem haud pandit; cum Rofchmannus pag. 88. nullum ejus vetuftatis exemplum proferre potuerit fæculo IX. adulto antiquius. Tandem concluditur, martyrio coronatum obiiffe *die Iduum Auguftarum, juffu Valeriani*. Mirum refcire potuiffe Sabionam emortualem Caffiani diem, quem Foro-Cornelienfes Prudentii tempore penitus ignorarunt. Notat Tillemontius Annot. 9. in Jefum Chriftum, Ecclefiam Feftos dies, aliofque celebrare confueviffe nihil folicitam, utrum nec ne in diem illum inciderint hæc myfteria; nec non Hanfizius de Epifc. Salisb. I. S. Rupert. fub num. LI. a pag. 58. ,, Conftat ex memoriis Ecclefiafticis fæpe alio die celebrari Na- ,, talem, ideft obitum Sanctorum, quam quo reipfa contigerat: ,, nempe vel die depofitionis anniverfaria, vel Inventionis cor- ,, poris, vel Translationis, & Dedicationis Ecclefiæ, vel ad arbi- ,, trium denique celebrantium &c. ,, Dein de quo Valeriano loquantur hæc Acta, an de Imperatore, an de Præfecto Fori-Cornelii, five alio ethnicæ feritatis Adminiftro, incertum eft adeo, ut *nihil certi* (adnotante ipfo Rofchmanno in calce cap. XVI. pag. 90) *citra temeritatis notam affirmari poffit*. Nihilo tamen fecius, *exiiffe Edictum* fubnectitur ex Lec. V. pag. 85. *a Romano Imperatore, ut quicunque Diis non facrificaret, eos cruciaret* &c. Sed hujufmodi Edictum non a folo Valeriano Imperatore, fed ab aliis quoque Chrifti Ecclefiæ primis perfecutoribus manaffe conftat. De Valeriani perfecutione, fub qua S. Caffiani martyrium acciderit, in Cod. San-Georg. nihil omnino perhibetur. Neque quis verifimile dixerit, perfecutionem contra Ecclefiam Sabionenfem, ejufdemque Præfulem, excitatam fuiffe, Valeriano in Rhætia & Norico agente: quum Rhætiam anno Chrifti CCLV. Romano Orbi Valerianum Imperatorem dediffe memoriæ proditum fit apud Orofium Lib. 7. c. 22. ubi ait: *Valerianus in Rhætia ab exercitu Auguftus eft appellatus*. Id quod etiam totidem verbis in Eufebii Chronico expreffum legitur, firmatumque habetur cum apud Eutropium Lib. 9. ubi inquit: *Licinius Valerianus in Rhætia & Norico agens, ab exercitu Imperator, & mox Auguftus, eft factus*, tum in Victoris Hiftoria Augufta his verbis: *milites, qui contracti undique apud Rhætias ob inftans bellum morabantur, Licinio Valeriano imperium deferunt*. Non, in-

inquam, id verisimile dicatur; quamvis enim in dubium revocari nequeat Valeriani ad imperium erectio in Rhætia peracta, ambigendum tamen itidem non videtur, Imperatorem hunc mox ab initio, quo rerum potitus fertur, infenso minime fuisse in Christianos animo, quin immo erga eos se se gessisse perquam pronum, ac optime adfectum, sed postea duntaxat, lacessente illum Macriano Magorum Ægypti Archi-Synagogo, eos vatiniano plus quam odio fuisse prosecutum, haud injuria proin inter sæviores Ecclesiæ hostes a Lactantio Firmiano, in suo de Persecutoribus Libello, recensitum. „ Non multo post (verba sunt Lactantii) Valerianus quoque non dissimili furore correptus, impias manus in Deum intentavit, & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. „ Quod si postea dicatur hujus efferbuisse persecutionem in Ecclesiam Sabionensem, danda erit ratio, cur pepercerit Tridentinæ ac Curiensi, quæ sane sacris Præsulibus neutiquam caruere, si illis Sabionensis, vel iis ipsis difficillimis temporibus, prædita fuerit.

XIV. Erit fortasse qui ad vindicias Documenti a Roschmanno prolati meminerit eorum, quæ tradit Artis Diplomaticæ Magister Mabillonius in Supplem. cap. IV. num. II. Muratorius Tom. III. Antiquit. Italic. pag. 43. Reverendiss. Bremond. Magister Generalis inclyti Ordinis Prædicatorum in Præfat. ad suum Bullar. Rubeus in Opusculo Italico inscripto: *Discorso Istorico-Cronologico Diplomatico al N. U. Flaminio Cornaro Senatore* &c. non omnes scilicet errores atque defectus Autographorum auctoritati obesse, neque illorum causa mox proscribenda antiquitatis rudera, si alia concurrant authentica signa sinceritatis: quive in memoriam revocet illa verba Card. Baronii in Not. ad Martyrol. Rom. die IX. Octobris, velut ad compescendam intemperatiorem Criticen veteribus monumentis ob unum alterumve erratum fidem omnem denegantem, perquam apposita, quibus sic ait: „ Si ob unum errorem vel alterum in Vitis Sanctorum inventum cætera, quæ remanent, fide carere dixerimus, profecto omnes fere Sanctorum Vitas in maximum discrimen inducimus, cum pæne in omnibus aliquid notari possit, quod corrigendum videatur; sitque Canonicarum tantummodo scripturarum singularis prærogativa, ut in eis cuncta vera, inconcussa, certaque narrentur. „ Quo etiam spectat id, quod animadvertit Maffejus L. 7. Veron. Illustr. col. 164. de insignibus quibusdam Codicibus, Acta S.S. M.M. Firmi & Rustici continentibus, quos Itali vocant *Lectionarii*, videlicet: *Ab-*

biam

biam notato quivi, come pezzi hanno legitimi, i quali possono esser derivati in parte da quell' istesso criminal processo, che si suol intender col nome d' Atti Proconsolari, benchè per altro d' inserimenti, e viziature non manchino, massimamente ne' miracoli replicati. Sed hic non agitur de uno alterove mendo vetusti Codicis, sed de Documento recentioris ætatis multis plane nominibus supposititio (*a*). Quis enim partem Historiæ minimam ab errore immunem certo sibi persuadeat, cujus partem maximam perabsurdam indubie

(*a*) Præter hactenus adlatas suppositionis ac novitiæ manus notas, alias quoque colligo ex Actis ejusdem membranacci Breviarii, non quidem mutilis ac detruncatis, uti illa exhibet Roschmannus a pag. 84. ad 92. Sed integris, ad me perhumaniter ab OEniponto transmissis. Hæc legens animadverti, eumdem consarcinatorem compegisse ex variis Scriptoribus velut quemdam centonem, atque alia corrasisse ex Petro Damiano, alia ex Actis S. Germani Antissiodorensis Episcopi, alia a Petro Calo Clugiensi, alia a Prudentio, ut ipsemet fatetur, alia ab aliis Anonymis Poetis sequioris ævi &c. Nescio etiam cur illa verba in eodem Breviario contenta Roschmannus prætermiserit: *Romanus Imperator privatus lumine oculorum suorum venit ad sepulchrum Martyris Cassiani dolens de commissis, & veniam postulant ab eo;* nisi quia probe norat, hæc nulla quidem ratione in Valerianum Imperatorem quadrare. Nescio cur reticuerit illa quoque: *Beatus Germanus Pontifex intuens sepulchrum Sancti Cassiani ait: quid hic agis Cassiane? Cui & dixit benigne: sic potior quiete, & adventum Redemptoris expecto;* nisi quia hoc pro arbitrio fictum, nullisque tabulis probatum, ac errorem etiam Chiliastarum sive Millenariorum subolest. Nescio cur suppressum voluerit: *Civitas nomine Sabiona, Gentilium quidem habitatio, & Damonum cultus inibi habebatur;* nisi quia Christianæ Religionis radios serius in Rhætiam, non autem ab ipsis Apostolorum principibus, immissos verebatur. Nescio cur illud de Cassiano Sabionensi Apostolo occuluerit: *dilectus Deo & hominibus memoriam sui transmisit in generationes saeculorum;* nisi quia optime sciverat Cassiani ad Sabionenses Apostolatum solis Sabionensibus innotuisse. Nescio cur illud missum fecerit: *Doctor namque extitit artium liberalium Beatus Cassianus Sacerdos & Martyr Christi, & inde scholas longo tempore gubernabat;* nisi quis non poterat ab exilio ad martyrium tantum tempus effluxisse intra Valeriani Imperii angustias, cum ille imperium obtinuerit anno Christi ducentesimo quinquagesimo quarto, sed anno sexto Imperii sui adverso Marte pugnans captus fuerit, excoriatus, saleque conspersus anno Christi ducentesimo sexagesimo. Nescio cur celaverit: *Discipuli vero malum pro bono reddentes, & obtemperantes praceptis iniqui Principis, foderunt membra sui Magistri;* nisi quia hoc Principis nomine satis Valerianus Imperator, aut Magistratus Imolensis non videbatur indigitari. Nescio cur siluerit: *alii stimulos & instrumenta ferrea vibrant, alii lapidibus concutiunt caput, stilis, tabulis, & plumbatis pro bono malum reddiderunt;* nisi quia de *lapidibus* & *plumbatis* altum silentium apud Prudentium, qui tamen Roschmanno teste pag. 14 ac 82 totus fuit in describendo hypotyposi quadam poetica Cassiani insigni martyrio, non *lapidibus & plumbatis*, sed solis *instrumentis scholasticis* perpetrato. Nota ea, quæ in præfatis Actis referuntur de S. Germano ad sepulchrum S. Cassiani orante, ita fuisse excerpta ex Vita S. Germani Episcopi Antissiodorensis, ut quæ in hac narran-

bie credit? Qui ejuſcemodi male materiatis Hiſtoriis certam præſtat fidem, næ vehementer errat, ſeque doctis deridendum propinat.

XV. Præterea noſſe aveo a Roſchmanno, num Acta ab ſe producta, ad quæ cætera emendanda exigit, antiquitate ac auctoritate aliis præſtent, nec ne? Si præſtent, cur ergo eam illorum teſtimonio depoſcit fidem, quam ipſe adhibere detrectat? Quippe cum illa teſtentur S. Caſſianum Sabionenſem Præſulem fuiſſe Forum-Cornelii in exilium deportatum, hæc haud citra mendum prolata ambigit, inquiens cap. XV. pag. 87: *Urbem Sabionam a Paganis captam, & S. Caſſianum Imolam abductum, forſitan non ſine mendo affirmant*. Ac rurſus poſt pauca: *Ductum tamen exinde Forum-Cornelii ſubdubito, fuga forte illuc delatum diceremus melius*. Tametſi ego quidem non videam, quo pacto id dicatur melius, ſi vera ſint, quæ ipſe ibidem narrat, quæve paulo ante retulimus: *monſtratur adhuc hodie Sabionæ turris olim reli-*

narrantur de S. Caſſiano Epiſcopo Auguſtodunenſi, in illa Caſſiano Imolenſi perperam adfingantur. De hac interpolatione, quæ irrepſit in Acta S. Caſſiani Imolenſia, jam diu nos præmonuit Petrus Calo Clugienſis in Legenda S. Caſſiani hæc narrans: „ Beatus Germanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus, cum „ loca Sanctorum ex more devotione „ ſedula circumiret, tandem ad Civi„ tatem Cornelienſem deveniens, ſepol„ chrum B. Caſſiani adiit, fuſaque ad „ eum prece ipſum interrogavit, & di„ xit: *Quid hic agis, Frater glorioſe* „ *Caſſiane?* At ille e tumulo cunctis „ audientibus, qui aſtabant, clara vo„ ce reſpondit: *Dulci quiete potior, &* „ *adventum Redemptoris expecto*. Et „ Germanus ſubjunxit: *per longum in* „ *Chriſto tempus frater quieſce, & pro* „ *nobis, & omni cætu fidelium in Ple*„ *be Cornelienſi ad Dominum interce*„ *de, ut Sacræ reſurrectionis gaudia* „ *mereamur*. Sed Frater Vincentius „ in Speculo Hiſtoriali recitat hoc de „ alio Caſſiano Auguſtodunenſi Nonis „ Auguſti. „ Videatur quoque Baronius in Notis Martyr. Rom. ad hanc diem. Refert quidem idem Calo in eadem Legenda: „ Imperator quidam „ exercens tyrannidem poſſeſſiones & „ prædia Eccleſiæ S. Caſſiani hoſtiliter „ devaſtavit. Mox autem plagam cæci„ tatis incurrit &c. Oculos autem cor„ dis, quos culpa clauſerat, pœna a„ peruit, quia ad ſe ipſum rediens, „ errorem ſuum cognovit, & ſe ipſum „ redarguens omnia reſtituit, & dam„ na omnia reparavit. Continuo au„ tem Beati Caſſiani Martyris meritis „ tenebra expellitur cæcitatis. Quare „ quando ſuum cognovit flagitium, lu„ men recuperare meruit oculorum. „ Sed cum nullum hujus miraculi teſtem ac vadem adpellet, uti ſolet in eadem Legenda, quædam referens ex Bartholomæo, quædam ex Petro Damiano, ac quædam ex Prudentio, quam mereatur fidem plane neſcio. Ac ſane inſtar miraculi mihi eſt, potuiſſe illius Imperatoris nomen ac memoriam excidere, ſi reapſe fuiſſet per miraculum excæcatus, lucique priſtinæ rurſus per miraculum reſtitutus. Namque miracula, quæ vere Imperatoribus contigerint, omnium ore ac calamo evulgantur, ac difficile in oblivionem abire ſinuntur.

religiose culta, ubi ab infidelibus captus detinebatur S. Præsul :...... quin etiam catenas ferreas, quibus vinctus in ergastulo delituit olim non sine veneratione adfuisse ab idoneis testibus accepi. Quei enim fiat, ut turri conclusus, ferreisque catenis constrictus, sibi fuga consulere quiverit? satis etiam sibi non constat Roschmannus in statuenda illius Breviarii antiquitate. Nam cap. XVI. pag. 84. ac 85. adfirmat esse trecentorum annorum, sive manum *Sæculi XV*. indigitare; Cap. autem XVII. pag. 94. adseverat esse Codicem *Sæculi decimi quarti*. Tum in addendis III. pag. 153. putat illud ad sæculum VIII. pertinere. Nec non cap. XV. pag. 79. septingentorum annorum esse Codicem. Quæ quomodo cohæreant plane non video: maxime cum ipse fateatur de præfato Codice sive Breviario cit. pag. 94. *addere pro more illorum temporum non pauca, quæ posteriorum sæculorum fœtus sunt*. Ubinam ergo gentium illud est *vetustissimum Manuscriptum*, quod ipse jactitat pag. 137? Nec in hanc rem reticenda ingenua ejusdem confessio, qua inquit pag. 74. *neque ipsus diffiteor, Acta (saltem quæ ego vidi) interpolata esse*. An vero hinc jure e vestigio subdat: *Suspecta tamen esse debere ex hac ratione, cordate pernego*; æquo rerum æstimatori judicandum relinquo; cujus etiam criterio subjiciendum existimo, num diversitas magna contenta in Actis S. Cassiani Sabionensis Episcopi a Roschmanno probatis ex una, atque ab Ecclesia Brixinensi adoptatis ex altera parte, conjecturam non porrigat falsitatis, adeo ut nefas haud sit, suspicari fraudem aliquam in iisdem contexendis subesse, juxta illud Lactantii L. 5. cap. 3. Div. Inst. *Hæc est mendaciorum natura, ut cohærere non possint. Vera autem traditio quadrat ubique, ac tota sibi consentit, & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est*. Quod si Acta a Roschmanno retecta, quibus Sabionensis S Cassiani Episcopatus potissimum sulfulcitur, nec auctoritate, neque antiquitate, multoque minus consonantia cæteris anteferenda sint, nemo non videt, illa una cum reliquis ad apocrypha itidem amandanda.

XVI. Ab hujuscemodi Actis haud abludunt reliqua consarcinata ab eodem Auctore. Hymnus, quem refert pag. 99., duo continet falsa, & quod

Accepit illum Brixina
Pastorem primo nobilem &c.

& quod

Illis expulsus sedibus
Ducente Sancto Spiritu
Cornelii Foro constitit &c.

Etenim Cassiani sæculo nulla erat, quam Christianæ fidei mysteriis initiaret, Brixina; a Sabiona vero subdubitat ipse Roschmannus fuga potius, quam exilio recessisse, uti paulo ante ex eodem audivimus. Meretur quoque obelo notari quod in eodem subjicitur Hymno:

Pastor & Doctor inclytus
Humanas docet litteras,
Ut vera Christi dogmata
Tenellis ferat animis.

Siquidem juxta Breviarium Membranaceum, Acta Bartholomæi, ipsumque Prudentium, Martyrium perpeti debuit, non quia pueros in fidei Mysteriis instruxerit, sed quia Diis sacrificare, libare, supplicare renuerit. Quod si eo fine puerorum in fide instruendorum ludi magistri munus non egerit; quis non videat, illud juxta scita Canonum sacro Antistiti omnino disconvenire? Nescio etiam quei tenelli puerorum animi a Roschmanno una cum adolescentibus maturioribus in notaria arte difficiliori exercendis componi queant.

XVII. Nec majori auctoritate pollet Martyrologium Præposituræ Novacellensis laudatum ab eodem Roschmanno pag. 101. nedum quod vix trecentorum annorum antiquitatem superet, verum etiam quod prorsus abhorreat a vero, fuisse, uti Roschmannus ibidem censet, *ex antiquissimo, ut contextus docet, haud dubie descriptum;* quod spectat nimirum illam Sabionensis Præsulatus laciniam. Contextus enim docet potius, fuisse verbotenus exscriptum ex Martyrologio Usuardi, in quo ad diem 13 Augusti ipsissima habentur, excepta Sabionensis Episcopatus Mantissa, quam novitia manu perperam Martyrologio Novacellensi intrusam facile patere potest invicem conferenti ambo Martyrologia, ex quibus palam fit in iis, quæ de Cassiano memoriæ in ipsis prodita sunt, nec apice uno aut jota differre, ablatis duntaxat duobus verbulis, nempe *Episcopi Sabionensis*, quæ in Martyrologio Usuardi non interpolato omnino desiderantur, ut patet in omnibus ejus apud Sollerium Codicibus, uno dempto Codice Antuerpiensi, cujus tamen auctoritas infirmatur ac eliditur; tum quia recentiori manu exaratus, anno nimirum 1425; uti ingenue profitetur ipsus Roschmannus pag. 15; tum quia unus ille nullatenus potest cæteris numero pluribus prævalere, in quibus ne gry quidem est de Sabionensi S. Cassiani Præsulatu. Etenim priscorum Martyrologiorum Exemplaria, etiam numero plura, vel in præstantioribus Bibliothecis custodita, si constet recentio-

centiori ætate fuiſſe exarata, neque una cum cæteris concordare, exiguam admodum fidem facere diſcimus ex Pontificio Oraculo ſapientiſſimi Romani Pontificis Benedicti XIV., modo quam feliciſſime ad Eccleſiæ clavum ſedentis, in Litteris Apoſtolicis, novæ Martyrologii Romani Editioni præfixis, ubi Dominicum Georgium refutat ex iis ſanctitatem Clementis Alexandrini perperam comprobantem. „ Equidem (inquit num. XXXV.) ille pro-„ vocat ad vetera Martyrologii Adonis exemplaria, quæ *in Cod.* „ 511. 512. & 514. Bibliothecæ Vaticanæ exſcribuntur; in qui-„ bus poſt S. Aviti Abbatis memoriam ita legimus: *Alexandriæ* „ *Beati Clementis Presbyteri, qui in Divinarum Eruditionum ſcholis* „ *quam maxime effloruit*. Verum ipſa Codicum, qua ſcripti ſunt, „ ætas, illorum auctoritatem hac in re dubiam evincit. Audien-„ dus ipſemet Georgius *in Præfat. pag.* 9. *Alter*, inquit, *ſigna-* „ *tus num.* 511. *ex ſpecimine characteris, ſæculo Chriſti undecimo ſcri-* „ *ptus eſſe mihi viſus eſt; Reliqui vero duo ſignati num.* 512. *&* 514. „ *ſæculo duodecimo exarati fuiſſe viſi ſunt*. Quo circa nec omnino „ antiqua, nec ab Adonis tempore, parum diſſita dicenda ſunt „ tria illa Bibliothecæ Vaticanæ Exemplaria, quæ plurium ſæ-„ culorum ſpatio ab Auctoris ætate diſſociantur. Ex quo & il-„ lud ſequitur, fieri facile potuiſſe, ut aliqui ſequioris ævi Scri-„ ptores, pietatis ac Religionis prætextu, privato conſilio vete-„ ribus Martyrologiis nova Sanctorum nomina addiderint; quod „ multis exemplis, apud Eruditos, ipſumque Georgium, fre-„ quentibus illuſtrare poſſemus. „ Age vero ipſum Exemplar Uſuardo coævum, ejuſque etiam Antographum, eam expreſſerit lectionem, quam exhibet Martyrologium Novacellenſe. Quid inde? Tam nihil certi hinc extundi poteſt pro præſulatu Caſſiani, quam certi nihil elici ullatenus poteſt pro ſanctitate Clementis. Fallor ego, niſi id demonſtraverim ipſiuſmet prælaudati Pontificis ibidem num. XXXIV. ac XXXV. graviſſimis verbis, quibus ſic ait: „ Cum autem in nullo ex præcedentibus Martyro-„ logiis nomen Clementis (*Caſſiani Epiſcopi*) legatur, haud teme-„ re affirmare licet, Uſuardum omnium primum fuiſſe, qui Cle-„ mentis (*Caſſiani Epiſcopi*) nomen in ſuum Martyrologium in-„ tulerit &c. Hoc autem ſemel ſtatuto Uſuardum nempe pri-„ mum fuiſſe qui Clementis (*Caſſiani Epiſcopi*) nomen in Mar-„ tyrologium invexit, tanta profecto non eſt illius auctoritas, „ ut grande ſit piaculum ab ea aliquando recedere &c. Neque „ unum eſt, in quo Uſuardus fallitur, Clementis (*Caſſiani Epi-* „ *ſcopi*) nomen &c.

XVIII. Cæterum non solum de hoc Usuardi Martyrologium alte silet, verum etiam cætera, quæ norim, omnia, nempe Bedæ, Rabani, Adonis, Romanum, Rhinoviense, Augustanum, Reginæ Svecorum, Ottobonianum, Antissiodorense apud Martenium to. VI. Collect. amplifs. Anecdot. Kalendarium Stabulense &c. quibus omnibus duo Martyrologia cum Novellacense, tum Antuerpiense, comparata nemo dubitet teruntii facienda. Legatur Martyrologium Usuardi editum opera Joannis Molani Lovaniensis an. 1568. cui titulus: *Usuardi Martyrologium, quo Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ utuntur, jussu Caroli Magni conscriptum, ex Martyrologiis Eusebii, Hieronymi, Bedæ, Flori &c.* nec non Martyrologium Adonis Archiepiscopi Viennensis ab Heriberto Rosvveido S. J. Theologo jam pridem ad MSS. exemplaria recensitum, nunc ope Codicum Bibliothecæ Vaticanæ recognitum, & adnotationibus illustratum opera & studio Dominici Georgii Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. P. M. ab intimo Sacello: cui accessere Martyrologia & Kalendaria aliquot ex Vaticana, & aliis Bibliothecis eruta, nunc primum in lucem edita, Rom. Edit. MDCCXLV.

XIX. Meminerit porro Roschmannus, quod ipse ex Cl. P. Augustino Orsi in Differt. Apol. pro SS. Perpetuæ, Felicitatis, ac Soc. MM. orthodoxia exscripsit cap. XIV. a pag. 71. nimirum quod esto *non adeo in vetustioris ævi moribus positum fuisse videatur, ut gesta Martyrum adeo exquisita diligentia traderentur, progressu tamen temporis ampliora condita fuisse Martyrologia, ac quinto, sexto, septimoque sæculis commercium reapse omnes pene inter Ecclesias institutum*. Quei autem fiat, ut ampliorum Martyrologiorum conditoribus, vel post omnium pene Ecclesiarum commercium, nihil penitus innotuerit de Sabionensi S. Cassiani Præsulatu, si eo reapse S. Martyr ullo unquam tempore fuisset defunctus?

XX. Quod spectat infulati Cassiani Imaginem a quingentis annis depictam, mitram ejus in Lapide Ratisbonensi repræsentatam, ac Libros liturgicos omnes ab eodem eruderatos, de hoc ipso astantes, nullum facessit difficultatis negotium; quippe vetustior longe pictura, cujus ad normam suum panxit Carmen Prudentius, nullarum penitus infularum specimen præseferebat: neque proin credendum est cum Roschmanno pag. 19. fuisse ad antiquius exemplar compositam, sed potius ad Anonymi Ughelliani inventa excogitatam. Ex fonte haud absimili profectam haud temere quis suspicari potest, mitram Lapidi Ratisbonensi insculptam. Et quamvis Boicis Scriptoribus crediderim, Ratisbonæ Theo-

Theodonem (*a*) munificentissimum in res sacras Principem suasu S. Rudperti, Templum S. Cassiano posuisse tanquam Martyri Imolensi, non tamen tanquam Episcopo Sabionensi; cum mitra illi fuerit duntaxat adjecta an. MCCCXI. adeo ut indubius quidem sit illius antiquissimus cultus velut Martyris, non velut Episcopi: quæ duo minus candide Adversarius videtur confundere. Quod autem pag. 28, 76 nec non in supplendis Roschmannus adferat, Theodonem II. Bojum restauratorem fuisse Ecclesiæ Sabionensis sui cultus ac religionis caussa erga ejus Episcopum & Martyrem S. Cassianum, optassem, ut ad id roborandum Boicorum Scriptorum majoris famæ ac antiquitatis testimonia protulisset; neque *Proprii*, ut vocat, *Brixinensis* meminisset, utpote cui ipse fidem detrahit, sive quo ad Ingenuinum sive quo ad Cassianum pag. 67. III. ac 113. Proprii Brixinensis mentem ita exprimit Bollandus in Act. SS. V. Febr. a pag. mihi 673. „ Brixi„ nensis Ecclesiæ Officia tradunt, *Urbem*, *& Ecclesiam Sabionen„ sem*, *Theodonis III. Bavariæ Ducis beneficentia*, *restauratam* ab „ Ingenuino. „ Ex quibus liquet, quod si Proprio Brixinensi fides, restauratio Sabionensis Ecclesiæ non Theodoni II. sed III. tribuenda sit; tametsi non desint apud Bollandum ipsum ejuscemodi restaurationem negantes. Nec tantum Proprium Brixinense, sed & Hundius eam non II. sed III. Theodoni adtribuit, inquiens de S. Ingenuino: *restaurata & Urbe & Ecclesia*, *assensu & ope Theodonis III. Ducis Bojorum primi ad fidem Christi per S. Rupertum conversi*, *factum esse Episcopum ac Pastorem hujus Ecclesiæ Secundum*, *ab Helia Patriarcha Aquilegiensi consecratum*. In quo tamen postremo monet Bollandus Hundium corrigendum, utpote a vera Chronologia rerum Boicarum dissonantem: *Pridem*, ait, *decesserat Ælias*, *cum Theodo III. conversus est*; *si recte Velserus*, *Brunnerus*, *aliique Viri doctissimi Chronologiam rerum Boicarum ordinarunt* &c. (*b*) Demum Missalibus, Breviariis, Martyrologiis Brixi-

(*a*) Largitas ac pietas Theodonis testibus invictissimis comprobatur Aribone in vita S. Corbiniani cap. 10., Charta Arnonis c. 1. nec non ex MS. Cæsareo apud Hansizium Tom. 2. f. 34. & 17. referente Roschmanno a pag. 29. Ex quibus tamen nihil constat de instauratione Ecclesiæ Sabionensis a Theodone facta, maxime Ingenuini precibus. Ante Theodones omnes floruisse Ingenuinum ex adnot. mox seq. ac alibi quoqoe patebit.

(*b*) Paulus Diaconus Lib. 6. c. 44. refert Theodonis II. Bojariæ Tetrarchæ profectionem ad Urbem Romam *Orationis gratia*. Romam autem profectum esse Theodonem II. an. 716. perspicue ostendunt Pagius, Marcus Hansizius, Rubeus &c. Pientissimum Principem circa an. 722. obiisse multis contendit

Brixinensis Ecclesiæ omnibus, nomen S. Cassiani Sabionensis Episcopi, præferentibus, oppono Missale Romanum, Breviarium Roma-

tendit idem Hansizius apud Roschmannum. Unde ad oculum patet, Ingenuini ævum ævo Theodonis sive III. sive II. multo præcessisse, neque proin instaurationem præfatam Ingenuini tempore potuisse contingere. Quod etiam S. Ingenuini ævum præiverit ævo S. Ruperti, liquet cum ex sententia Velseri, Brunneri, & sequacium, S. Rupertum ad annum duntaxat 616. in Bojariam introducentium, tum multo magis ex sententia Joannis Mabillonii, quam ipse validis roborat argumentis, statuentis S. Rupertum ad annum Christi 700. & ultra. Videsis sæc. III. Benedict. p. 1. in Vita S. Ruperti. Neque pro restauratione Ecclesiæ Sabionensis a Theodone facta quicquam evincit, quod narrat Roschmannus pag. 30 ubi ait: „ Ne„ que immemores collati beneficii illo „ tempore fuisse videntur Episcopi Sa„ bionenses; Synodo enim Dingolfinga„ næ anno 772. celebratæ, & apud Ca„ nisium recitatæ, interfuit Alimus Se„ dis Sabionensis Pontifex. Idem quo„ que, ut Bulla Leonis apud Hundium „ & Hansizium ad annum 798. docet, „ *petitorias emisit syllabas* ad summum „ Pontificem, *in quibus ferebatur, ut* „ *in Provincia vestra Bajoariorum Ar*„ *chi-Episcopum ordinaremus* &c. „ Quandoquidem ratio a Metropolitano Aquilejensi discessus alia esse potuit a restauratione præfata, nempe Provinciæ Boicæ districtus, ad quem Sabiona spectabat, aliæque Ecclesiasticæ caussæ ab ea restauratione distinctæ, præsertim cum Metropolitanam Salisburgensem dignitatem urgeret, ornaretque Carolus Magnus Arnoni primo Archiepiscopo Salisburgensi amicissimus. Namque ita lego in Hist. Salisburg. Mezger L. III. cap. VI. in fine: „ De Carinthiæ sacra „ ditione quæstio Arnoni incidit cum „ Paulino Aquilejensis Ecclesiæ Patri„ archa. Contendebat iste ad suam „ Diœcesim pertinere, obtentu littera„ rum, quas Zacharias illi Papa con„ cesserat. Præter recentia Virgilii & „ sua in conversione Regionis merita, „ Instrumenta alia ab eodem Zacharia „ & Stephano IV. Pontificibus profe„ rebat Arno, quibus Salisburgo sacra „ Carinthiæ jurisdictio asserebatur. Ne „ in longiorem litem res abiret, me„ diator intercessit Carolus M. dato „ consilio, ut limitibus divisis Dravus „ fluvius utramque Diœcesim termina„ ret: pars quæ septemtrionem respi„ ceret, Salisburgo, quæ meridiem, „ Aquilejæ subjecta cederet. Ita com„ muni placito conventum, ac posthac „ servatum. „ Quid multis? Restaurationis factæ Ecclesiæ Sabionensis a Theodone sive I. sive II. sive III. SS. Ingenuini ac Ruperti ævo nihil me legisse memini apud diligentissimos Annalium Bojorum Scriptores Aventinum atque Welserum. Nota insuper ex Clariss. Antonio Pagio in Critica Historico-Chronolog. ad an. Chr. 696. nequidem Theodonem primum Ingenuino fuisse coævum. Quippe Theodo Bujariæ Dux hujus nominis primus, non vero secundus aut tertius, ut ante Hadrianum Valesium Tom. 3. Rer. Franc. pag. 465. & seqq. omnibus persuasum fuit, usque ad annum circiter 680. adhuc in vivis erat, sub quo Christiano Duce S. Emerammus seu Emerannus per triennium in Bojaria, ubi nondum idololatria funditus eradicata erat, Evangelium prædicavit, juxta Cirinum in Vit. S. Emeram. Postea Theodonem hujus nominis secundum S. Ruperto Bojorum Apostolo coævum fuisse, demonstrat idem Hadrianus Valesius, haud minus de Historia Bojoarica, quam Francica, optime meritus.

Romanum, Martyrologium Romanum &c. in quibus S. Cassianus duntaxat tanquam Martyr colendus proponitur, non tanquam Episcopus.

CAPUT II.

Ponderantur Conjecturæ a Roschmanno productæ pro Sabionensi S. Cassiani Præsulatu propugnando.

XXI. Excussis jam præcipuis Documentis, queis Author innititur, reliquum est, ut ejus potissimas conjecturas æqua lance libremus. Præ primis ergo ex illis S. Epiphanii verbis L. 51. contra Hæreses: *Huic* (Divo Lucæ Evangelistæ) *prædicandi Evangelii munus est creditum, idque ipse primum in Dalmatia, Gallia, Italia, & Macedonia præstitit, sed in Gallia præ cæteris* &c. expiscari se posse autumat cap. X. a pag. 42., quod, cum hoc intelligendum non sit de Gallia Transalpina, uti Galli ipsi Petavius ac Valesius testantur, id potius de Cisalpina, etiam Rhætica, sit accipiendum. Sed hoc quam probat nimium, tam nihil probat; nimirum Rhætiæ secundæ, nominatim Sabionensis Diœcesis, non Cassianum primum fuisse Apostolum, sed D. Lucam Evangelistam, cujus meminit Epiphanius. Quod si verum fuerit, qua, rogo, veri specie, memorat Codex membranaceus eximius apud Roschmannum pag. 93. *Missus est igitur ad hanc Urbem* (Sabionam) *vir Deo charus Cassianus* &c. *unde contigit, ut hujus Urbis incolas Doctrina orthodoxæ fidei imbueret* &c. *primus inibi factus Apostolus* &c.? Ex Epiphanii verbis ad summum elicitur passim a D. Luca per Rhætiam prædicatum fuisse Evangelium, non tamen fundatos passim Episcopatus. Tum si fas sit ita exporrigere D. Lucæ Apostolatum; quid ni liceat quoque credere Passaviensibus quoque ac Frisingensibus Evangelium annuntiasse, ac Episcopales Cathedras erexisse, falsaque per consequens esse, quæ de S. Valentino primo Passaviensium Apostolo ac Episcopo, deque Sancto Corbiniano primo itidem Frisingensium Præsule tradit Roschmannus pag. 22. ac 108?

XXII. Consentientem adducit Innocentium I. in Epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum num. 2. in hæc verba apud Pe-

Petrum Constantium loquentem: „ *Præsertim cum sit manifestum* „ *per omnem Italiam .... nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos* „ *Ven. Apostolus Petrus, aut ejus successores, constituerint Sacerdotes*. „ Unde sic argutatur: *in omni igitur Italia constitutas esse Ecclesias & Episcopos ex hac Epistola patet; in Rhætia igitur, quæ ad Italiam tum certo pertinuit, pariter constitutas fuisse, vix dubitare licebit*. Pape quam argute! Haud absimilis argutia illi, qua quis ex eo quod nullus Foro Cornelii scriptoriam artem disceret olim nisi Cassiano Magistro, inde se posse inferre putaret, quod omnes ergo Foro-Cornelienses Scriptoriæ artis præceptis fuerint, Cassiano docente, rite informati. Juverit meminisse eorum, quæ D. Augustinus commentatur, exponens illa Apostoli verba: *Deus vult omnes homines salvos fieri;* id declarans exemplo omnium in Urbe Magistri, non quasi omnes doceat; sed quia quotquot docentur ab ipso instruuntur. Tanquam diceretur (ait S. Doctor) nullum „ hominem fieri salvum, nisi quem fieri ipse voluerit: non quod „ nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit; sed quod „ nullus fiat, nisi quem velit; & ideo sit rogandus ut velit. „ Id quod illustrat Lib. de Prædest. SS. c. 8. hoc luculentissimo exemplo Magistri, qui in Civitate omnes docere dicitur: „ Sicut „ (inquit) integre loquimur, cum de aliquo Litterarum Magi- „ stro, qui in Civitate solus est, dicimus: Omnes iste hic litte- „ ras docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab il- „ lo discit, quicumque ibi litteras discit: ita recte dicimus: Om- „ nes Deus docet venire ad Christum; non quia omnes veniunt, „ sed quia nemo aliter venit. „ Quæ Augustini verba quomodo accipienda sint de sola voluntate *absoluta* & *consequente* ad solos prædestinatos restricta, non autem de voluntate, quam Scholæ vocitant *antecedentem* & *conditionatam*, viderint Theologi *(a)*. Sane doctissimus juxta ac eruditissimus Bernardus de Rubeis in eruditissimo Opere suo inscripto: *Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis* &c. cap. I. orsus a recitatis Innocent. I. verbis, adhuc originem Ecclesiarum in Occidente plerumque obscuram & incertam agnoscit. „ Quænam vero (præfatis continuo subdit verbis) Civita- „ tes, Municipia, & Oppida fuerint, in quibus Ecclesias insti- „ tuerint Episcopi a Petro Apostolo initiati, ab eodemque Apo- „ stolo Principe ad id munus obeundum delecti; & quædam di- „ stin

(a) Consulenda Historia Theologica Marchionis Maffeii Opus in Germania nostra suo sat nomine ac fama celebre.

„ ſtinguere loca oporteat, ubi temporum decurſu Petri ſucceſ- „ ſores, opera & induſtria Sacerdotum, quos ipſi deſtinaverint, „ lumen attulerint Evangelicæ fidei, obſcuram, perplexam, dif- „ ficillimamque negaverit nemo perquiſitionem, aleæque ple- „ nam. „ Et nihilo tamen ſecius, quod obſcurum præclariſſimo Rubeo, tam clare patet Roſchmanno, quod uni incertum, alteri adeo indubium videtur, ut vix dubio locus remaneat? Numquid ſolus Roſchmannus œdipus ille acutiſſimus, qui difficillimos Sphingis nodos nullo negotio diſſolvere valeat? Tum ſi ſolus Petrus ejuſque ſucceſſores inſtituerunt Eccleſias, conſtitueruntque Epiſcopos; ergo Eccleſia Sabionenſis inſtituta eſt, ac conſtitutus Epiſcopus S. Caſſianus, non a Mediolanenſi aliquo Præſule, ſed a Romano aliquo Pontifice Petri ſucceſſore. Cur ergo D. idem Caſſianus dicitur a Roſchmanno cap. XV. pag. 80. *a Mediolanenſi Epiſcopo & Sacerdos & Epiſcopus conſecratus, ac in Alpes Rhæticas miſſus?* Quibus tabulis id firmat? Item ſi a ſolo Petro ejuſque ſucceſſoribus jacta ſint omnium per Italiam, qua late patet, etiam ut Rhætiam complectitur, Epiſcopatuum fundamenta; ergo nullus eſt S. Lucæ Apoſtolatus a Roſchmanno adſertus per Galliam Ciſalpinam etiam Rhæticam. Quo pacto Vir ſapientiſſimus Marchio Maffejus Veron. Illuſt. L. 8. col. 215. ex eadem Innocen. I. ad Decent. Epiſtola arguit nullum eſſe cum S. Barnabæ ad Mediolanenſes, tum S. Marci ad Aquilejenſes Apoſtolatum. (*a*)

XXIII. Profert verba Lactantii de mort. Perſecut. cap. 2. *Diſperſi ſunt* (Apoſtoli) *per omnem terram ad Evangelium prædicandum, ſicut illis Magiſter Dominus imperaverat, & per annos 25. uſque ad principium Neroniani Imperii per omnes Provincias & Civitates Eccleſiæ fundamenta jecerunt.* Tum ex his infert Roſchmannus: *Vix igitur dubium occurrit, aut Apoſtolos ipſos, aut eorum ſaltem Diſcipulos in tam propinquam Italiæ Regionem, adeo a Romanis cultam & frequentatam, certo certius fuiſſe delatos.* Quid ergo? Num Sabionenſis Eccleſiæ initia ducenda a principio Neroniani Imperii? An D. Caſſianus martyrium perpeſſus fuerit, non ſub Juliano,

(*a*) Ibidem ait vir ſummus: *Scriſſe Innocenzo primo nell' Epiſtola a Decenzio, non ſolamente in Italia, ma non trovarſi ch' altro Apoſtolo che S. Pietro abbia predicato nell' Occidente tutto, e nell' Africa; e da lui però e da' ſuoi ſucceſſori eſſer andati derivando i primi che in tutte queſte parti iſtituiſſer le Chieſe* &c. De quo tamen lege ſis Cl. Saxium in Vind. de Adventu Mediol. S. Barn. Apoſt. cap. V.

no, non sub Diocletiano, non sub Valeriano, sed multo ante sub Nerone Imperatore? Quo spectant, oro, illa verba cum D. Hieronymi ex Commentario in Matthæum c. 5. deprompta de Apostolis *per singulas Provincias Presbyteros & Episcopos ordinantibus*, tum D. Cypriani Epist. 52. ad Antonianum de Episcopis *per omnes Provincias & Urbes singulas ordinatis*, tum Tertulliani Lib. de Præscript. num. 11. de primis Episcopis *qui aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis Viris, babuerint Auctorem, sive Antecessorem;* nisi Sabionensis Ecclesiæ primordia altius, quam ab ipso Cassiano, deriventur, nempe ab Apostolis ipsis, vel Apostolicis Viris, qui tamen cum Apostolis vixerint? Itane conjectando processit Roschmannus, ut vel ante Cassianum ipsum successionem Episcoporum nusquam interruptam ostenderet, nedum immanem lacunam grandemque hiatum Cassianum inter eundem & Ingenuinum impleret? Quorsum tot congestæ ab ipso auctoritates, ni primum demonstraverit, ipsis Apostolorum, aut Apostolicorum Virorum temporibus inter præcipuas Provinciarum Urbes inclaruisse Sabionam, sive Sublavium, aut Sublabionem, uti in Itinerario ac Tabula Peutingeriana nuncupatur? Ut quid illæ Patrum Sententiæ hic objectantur, queis plene facere satis curavit Tartarottus laud. Differt. de Orig. Eccl. Trid.? An aliud hic egit Roschmannus, quam Sisyphi lapidem volvere atque revolvere irrito plane nisu?

XXIV. Haud quidem omnino improbabile dixerim cum Velsero Lib. 6. pag. mihi 291. *ab ipsis Apostolorum Principibus Christianæ Religionis radios aliquos jam tunc temporis in Rhætiam immissos;* sed neutiquam Rhætiæ nostræ injurius futurus fuerim, si dixero, id præstitum per inferiores potius Divini Verbi administros, quam per Episcopos, adeoque Rhætiam ipsam serius Orthodoxos Præsules, quam alias Urbes principes recepisse. Et quamvis gratis dederim, primis Ecclesiæ sæculis etiam Episcopali charactere ab Apostolis decoratos, dum varias perlustrarent Orbis regiones, Christi Evangelium ubique gentium promulgaturi, utramque Rhætiam adpulisse, ac peragrasse; cum tamen manentem non haberent Civitatem, sed irrequiete universas Provincias, Evangelii ubique propagandi caussa, cursitarent, non videntur potius Rhætiæ, quam cæterarum Regionum, Præsules nuncupandi (*a*). Profecto si sæculo quinto, quo claruit S. Valentinus

(*a*) Hoc innuit ipsum Episcopi nomen, quod, vel apud Gentiles, munus obeundarum Urbium significabat, uti apud Suidam ac Ciceronem legere est.

Haud

tinus ab Eupippio cap. 41. *Rhætiarum Episcopus* vocitatus, Rhætia ipsa ad Provinciam Noricorum spectans, unum eundem Valentinum Episcopum, eumque duntaxat juxta multos Regionarium, agnovit; quanto magis medio sæculo tertio, quo autumat Rosch-

---

Haud abs re fuerit hic subjicere verba prælaudati ac nusquam satis laudandi Marchionis Maffeii Veron. Illustr. L. 8. col. 213. in rem hanc appositissima, quibus ait: *Non bisogna persuadersi, che a tanto numero venissero sì tosto i Fedeli, e con sussidj tali, da poter formare un Clero, ed eleggere un Vescovo. Regolarmente perchè germogliasse, e fruttificasse il divin seme a tal segno, vi si richiedeano più età .... Invaghisce molto il pregio di venir da S. Pietro; ma e i dubita, che non ne vengano tutte le Chiese d'Italia fagliarmente? Per tal discendenza però non è necessario che S. Pietro mandasse in ognuna a risedere un Pastore; basta che quei Sagri Operarj mandasse, da' quali i primi semi in moltissimi luoghi si sparsero, onde poi derivarono di mano in mano le Chiese tutte. Gioconda immaginazione è quella, che potesse S. Pietro deputare un Vescovo in particolare per tanto numero di Città, quasi egli così gran numero di discepoli, e di convertiti, atti a tal ministero, avesse in pronto, e quasi dovesse mandargli a negozio fatto. S. Pietro sarà stato secondo l'uso apostolico in più Città d'Italia egli stesso, e nelle varie parti di essa spedì senza dubbio con sacro carattere, e dopo aver loro imposte le mani, compagni e ministri, perchè seminassero l'Evangelio, ma questi erano Sacerdoti e Vescovi non affissi ad un sol luogo, e dopo aver annunziata in una Città la Fede, passavano ad un' altra, come richiedea la necessità di portarla da per tutto...... Preme sopra tutto l'emulazione delle altre Città, che così d'antico la loro serie incominciano, e continuano felicemente. Ma o Dio! quanto desiderabil sarebbe fosse stato sempre dinanzi agli occhi d'ognun ch'ha scritto, il fatto di quel Prete d'Asia riferito da Tertulliano, il quale avendo con buona mente, e per l'amore, che a quell'Apostolo portava, composto un libro de' viaggi di S. Paolo, ma con mischiarvi falsi racconti, e con attribuirlo a S. Paolo stesso, ne fu gastigato severamente con la degradazione, e ciò per sentenza di S. Giovanni, per quanto S. Girolamo accenna. Il fatale inganno di creder lecito il fingere a buon fine, e di suppor cosa indifferente la falsità usata per far altrui piacere, e senz' altrui danno, la semplicità ancora di credere a tutto, e di aver fede a voci volgari, e a monumenti e Scrittori di basso tempo, hanno fatto corrompere in modo la purità della Storia di varie Chiese, e vi hanno fatto introdurre talvolta novelle così ripugnanti alla verità de' tempi, alla Cristiana Disciplina, e al buon senso, che non si possono leggere senza ribrezzo da chi ben intende quanti mali il fatto adulteramento cagioni.* &c. Fidem quidem Christi ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Veronæ mox cœpisse opinatur vir Clariss. Veron. Illustr. L. 7. col. 163., idque ex Inscriptione quadam vetustissima, ex voto posita *Deo magno æterno*, conjectat; non tamen inde colligit, continuo quoque cœpisse Episcoporum Veronensium Ordinem. Memorat quidem ibidem Antoninum Pium Marcum Aurelium, Alexandrum, Philippum, ceu Imperatores Religioni Christianæ minus infensos; sed hinc nihil certo inferri posse existimat pro demonstranda Religionis Christianæ ea præclara in Urbe sub ea tempora propagatione. Unde subdit: *Ma quando in Verona venisse la Fede a gettar le prime radici, non è in alcun modo possibile di rilevare* &c. Si hæc ipse de Verona, quid mihi dicendum de Sabiona?

Roſchmannus S. Caſſianum Sabionenſem tenuiſſe ſedem, eadem Noricana Rhætia Epiſcopis fixam Sedem tenentibus caruiſſe cenſenda eſt? Audiendus Cl. P. Hanſizius f. 68. cujus quoque verba refert ipſe Roſchmannus in Vita S. Valentini ab eo idiomate Germanico egregie conſcripta, ac perquam eruditis Notis locupletata pag. 21. „ Non erat (inquit) Valentinus Pataviæ Epi„ ſcopus, ut dici ſolet, *Ordinarius*, *ſed extraordinarius & Regio„ narius*, non tam ad obtinendam Pataviæ Sedem Epiſcopalem „ miſſus, quam ad prædicandum illic Evangelium, auctoritate „ Legati Apoſtolici, non affixa uni tantum loco, ſed ad gentes „ convertendas extenſa: quæ etiam cauſſa eſt, quod non certi „ cujuſpiam loci, ſed integræ Regionis nempe Rhætiarum *Epi„ ſcopus* appelletur. Eo tamen nomine Valentinum ſibi Pata„ vienſes recte vendicant, quod apud eos laboravit, quod ad eam „ Urbem a Pontifice cum poteſtate Epiſcopi miſſus, fundaturus „ illic Sedem Pontificalem, ſi per tempora licuiſſet. „ Audivitne Roſchmannus Valentinum non ab ullo Mediolanenſi Præſule, ſed a Romano Pontifice Rhætiarum Epiſcopum deſtinatum, ac Noricanam Rhætiam tunc fixis Epiſcoporum Sedibus caruiſſe? Credamne ego facile nimis Sabionenſem Præſulatum Patavienſi multo antiquiorem? Crediderim quoque Sabionenſi Valli multo antea Chriſti nomen præfulſiſſe, quam Valli Anaunienſi, cui opera duntaxat SS. MM. Siſinii, Martyrii, & Alexandri, inclinante quarto ſæculo, illud coruſcare cœpit; cum teſtis ſit S. Maximus Thaurinenſis Epiſcopus Serm. 2. de S. Alex. inter Anecdota Muratorii Tom. 4. *apud ejus regionis homines Chriſtianum nomen cognitum antea non fuiſſe?* An facile mihi perſuaſerim, Sabionam in obſcuro loco ſitam, in arcto poſitam, montibus undique ac vallibus circumvallatam (*a*), barbaris gentibus amicam, maturius fidei radiis per orthodoxos Epiſcopos fuiſſe illuſtratam, quam Tridentum, clariorem longe Urbem, Sabionenſi multo amœniorem, regionis ſitu, populi frequentia, rerum copia, inſigniter celebriorem, Italiæque magis propinquam, quæ tamen ſupra Vigilium,

(*a*) Aventinus Annal. Bojor. L. 2. pag. mihi 86. ita illam deſcribit: „ In „ anguſtiis Alpium ſunt Sabona, arx eſt, „ nomen ſervat, imminet *Cluſio* Oppi„ do. Pontifice inſignis erat, qui nunc „ Brixinam incolit. Ibi via manufacta „ interruptis anguſto tranſitu jugis, ita „ ut vix ſingula meent plauſtra, longi„ tudine decem ferme millia paſſuum, „ dextra lævaque impendent ſcopuli, „ patet Vallis altiſſima, inacceſſaque: „ in qua Iſacus amnis præceps, ſpu„ manſque cum magno ſtrepitu per ſa„ xa fertur ſubjecta.

gilium, si fides antiquioribus Actis cum editis apud Bollandianos Tom. V. Mensis Junii, tum MSS. in Bibliotheca Capitulari Canonicorum Veronensium servatis, nec non a Donato Fætio Venetiis anno MDLX. una cum Kalendario Tridentino publici juris factis, non nisi duos Episcopos enumerat, qui proin non videntur nisi ineunte sæculo quarto, post semel restitutam a Magno Constantino Ecclesiæ pacem, ipsam rexisse? Idem esto de Feltria judicium, quam una cum Tridento Lenglet Tom. VII. Geograph. pag. mihi 196. inter præcipuas Rhætiæ Civitates recenset. Quamvis enim S. Prosdocimum in ea ac universo ejusdem districtu, totaque Euganea Valle ab ipsis Apostolorum temporibus Evangelium prædicasse ferant; nullum tamen ante VI. Christiani nominis sæculum enumerat Præsulem, ut infra patebit. Adeo verum est primis Ecclesiæ sæculis messem fuisse multam, Operarios autem paucos. Item nonne Veldidena, utpote juxta Roschmannum Urbs antiquissima, Augusti Colonia, & totius Rhætiæ princeps, Sabiona longe præstantior? Cur ergo si Urbes singulæ maxime principes ab ipsis Ecclesiæ incunabulis suo gaudebant Christiano Præsule, uti laudati Patres diserte tradidere, illi Rhætiæ Capiti, cui exornando in universa Veldidena sua Roschmannus totus insudat, certam propriamque mitram non imposuit? Dixi *certam propriamque;* quippe non audet (ob silentium, opinor Documentorum omnium) certo affirmare primis Ecclesiæ temporibus Veldidenam nactam fuisse Christianos Præsules, solosque Regionarios eidem præficiendos subdubitat: *ut adeo* (inquit cap. XI. pag. 50.) *de pastore pariter Christiano, saltem regionario, forte primis temporibus Veldidenæ commorante, vix dubium superesse queat*. Quod autem e vestigio subjungit: *donec Sede certa constituta etiam certus Sabionæ postea Episcopus constitui posset, quod in S. nostro Cassiano factum arbitrari fas est*: rursum non tam est conjectoris, quam arioli. An non enim conjectare potius fas esset, si certa sedes Regionario fuisset figenda, hanc fuisse collocandam, non in Sebana Valle, sive Sabionæ, Oppidulo obscuro, ac, Cassiani vetustissimo ævo, fortasse minus cæteris Rhætiæ locis celebri (a), sed aut in eximia Valle *Pustrissa*, ita a medio

(a) Haud inficias quidem ierim Sabionam, utpote cujus sub nomine *Sublavionis* sive *Sublabionis* Itinerarium ac Tabula Peutingeriana meminere, ac cujus antiquitatem produnt Lapides apud Aventinum L. 2. Annal. Bojor. pag. mihi 86. Cassiani ævo extitisse, utut secus videatur sentire Burgklechnerus Tom. I. Aquilæ suæ seu descriptionis rerum Tyrolensium apud Roschmannum pag. 11. Censeo

dio ævo vocata, *Itinere* nempe *ab Aquileja*, ut Itinerarium loquitur, *per Compendium Veldidenam*, nimirum aut *Loncii* celebri olim Mansione, aut *Agunti* nobili Civitate, a Lapidibus, Itinerario, Plinio, Ptolemæo, Paulo Diacono, Venantio Fortunato &c. etiam atque etiam commendata, sive potius in Valle Œnana videlicet Veldidenæ Urbe principe, cum Viri Apostolici, pro fide Christi disseminanda in Orbem missi, in Civitatibus præcipuis suas statuere Sedes, ac Episcopatuum ponere initia, consueverint? Juxta illud S. Paulini de S. Felice Martyre Poemate XXIX. 21. 25. ac 29. apud Roschmannum cap. XII. pag. 51:

. . . . Potioribus intulit illos
Urbibus . . . .
. . . . toto dedit Orbe Magistros.
Sparsit ubique loci magnas sua membra per Urbes.

Cæterum in Roschmannum antiquitatem Religionis Christianæ in Norico ab Apostolorum ipsis temporibus repetentem, e re fuerit illud regerere, quod in exordio Cap. 2. Metrop. Laureac. ex Radero præfatur Hansizius: „ Juvat ordiri verbis Raderi: multi, inquit, ambitiose quærendo prima Christianæ legis apud „ Bojos initia, Principes Apostolorum in Germaniam atque etiam Boicam (adde Noricum & Pannoniam) Petrum, Paulum, „ & Thomam, Titum, & Marcum, Lucium Cyrenensem, atque alios, deducunt, quæ uti nulla certa auctoritate nituntur, ita securius silentio transmittuntur; mihi deliberatum est „ non tam speciosa in vulgus, quam vera in orbem invulgare.

XXV. Ex his aliud conjecturale argumentum nullo negotio diluitur, quod urget Roschmannus cit. cap. XI. a pag. 45., ubi ex eo quod primis sæculis in Diœcesi Sabionensi, ac Urbe principe Veldidena, inventum fuerit Templum S. Laurentio Martyri sacrum, cujus S. Gregorius Turonensis De glor. Mart. L. 1. c. 42. & Venantius Fortunatus L. 9. num. 14. de Basil. S. Laur. meminere; ex eo quod Sanctitate tunc temporis claruerit Romedius Thaurensis Castri, in eadem Sabionensi Diœcesi positi, Dominus, Catholicis parentibus ortus, longe celeberrimus rerum

---

Censeo duntaxat haud tunc fuisse ita celebrem, ut præ cæteris clarioris nominis Urbibus adeo antiquo Episcopatu, ipso difficillimo persecutionis tempore, ornari meruerit. De antiquitate Sabionæ consulenda Topographia Provinciarum Austriacarum, quæ Auctore Matthæo Meriano in lucem edita est Francofurti ann. 1649., ubi pag. 237. demonstratur ex Tabulis, Itinerariis, Paulo Diacono, Hundio, Mageio, Braunio, atque Brunnero.

rerum mundanarum contemptor; ex eo quod in Epistola D. Vigilii ad S. Jo. Chrysostomum de Martyrio SS. Sisinii, Alexandri, & Martyrii mentio fiat cujusdam Jacobi Rhætiæ primæ & secundæ Comitis, Rectoris, sive Præsidis, viri utique apprime Catholici, utpote qui ab ipso D. Vigilio appellatur *desideriorum cælestium vir fidelis*; ex eo quod sub Duce Rhætiæ primæ & secundæ Equites essent militesque Christiani; ex eo demum quod Sabiona, haud secus quam Tridentum, Metropolitano Mediolanensi subesset, ac Veldidena in Diœcesi Sabionensi contenta Urbs olim omnium princeps esset; colligit, fuisse haud dubie Præsulem Christianum, ad minus Regionarium, forte primis temporibus Veldidenæ, postea fixa Sede Sabionæ consistentem, qui Christianis in ea satis ampla Provincia degentibus præesset, fideique Mysteria credenda proponeret. Hinc S. Romedium vocat *Sabionensis Ecclesiæ subditum*, ac prælaudatum *Jacobum* Rhætiæ Præsidem Diœcesi potius Sabionensi, quam Tridentinæ, vindicandum existimat.

XXVI. Sed hoc consectarium ab eo deductum jugulum ipsius petit, ac omnino nullum esse nemo unus, qui sapiat, ignorat. Quandoquidem inde consequens esset, quod S. Cassianus neutiquam habendus esset, contra fidem Documentorum omnium a Roschmanno prolatorum, primus Diœcesis Sabionensis Apostolus, cum ipsum præcessissent Regionarii omnes Episcopi Veldidenæ in Sabionensis Diœcesis districtu sitæ commorantes. Cumque templa primum post redditam a Constantini ævo Ecclesiæ pacem, ac multo postea in Bajoarica Noricorum Provincia Sabionam complectente (*a*), palam construi cœperint, tum Romedius

(*a*) Si lubeat originem Ecclesiarum multarum in Bajoarica Noricorum Provincia, ubi olim Sabiona sita erat, erectarum perquirere, eam non altius repetendam edocemur quam a tempore, de quo Fasti ipsi Brixinenses loquuntur, agentes de S. Ruperto & S. Henrico. De Ruperto sic ajunt: „ Cum templum „ in honorem B. Petri Apostolorum „ Principis ad Juvavium fluvium, in lo„ co, qui nunc Salisburgum dicitur, „ primus erexisset, animum statim ad „ reliquam Bavariæ gentem sacra Chri„ sti religione imbuendam convertit. „ Unde Bavarorum Apostolus meruit „ appellari, jactis passim multarum Ec„ clesiarum fundamentis. „ Nec non de S. Henrico Bavariæ Duce ac Imperatore ita narrant: „ Plurimas in Dei ho„ norem & populi salutem Ecclesias a „ fundamentis erexit, alias etiam col„ lapsas instauravit, amplissimisque „ prædiis ac muneribus exornavit. „ Quam quidem pii Imperatoris libe„ ralitatem Brixinensis quoque Ecclesia „ uberrime sensit „. Animadvertendum autem cum Aventino Annal. Bojor. L. 3. c. 3. adductis Bojis ad fidem Christianam amplectendam a D. Ruperto, ab eoque Bojorum Ducibus aqua cælesti lustra-

medius ac Jacobus Præſes inclinante duntaxat ſæculo quarto floruerint, ex hujuſmodi exemplis extundi nequaquam poteſt ſub Valeriano Imperatore, ac proin ſæculi tertii medio, viguiſſe Eccleſiam Sabionenſem, eamque proprio ſanguine S. Caſſianum Antiſtitem ejuſdem ac Martyrem illuſtraſſe.

XXVII. Nec mihi facile in animum meum inducere poſſum, ut credam ita conjectanti Roſchmanno. Cum enim martyrium S. Laurentii eodem ferme tempore contigerit ac Martyrium S. Caſſiani (nempe ut pertendit Roſchmannus, ſub Valeriano Imperatore, ſive ipſo tertii ſæculi medio, quo tempore Eminentiſſimus Baronius conſignat martyrium S. Laurentii in Not. ad Mart. 10. Aug.) difficile creditu eſt, illud templum extero potius, quam proprio Martyri, ipſique primo omnium Epiſcopo ac Apoſtolo, fuiſſe nuncupatum. Quod ſi dixerit Roſchmannus, Cathedralem ſaltem Sabionenſem Eccleſiam, juxta Diploma Ludovici Imperatoris (vulgo Infantis) ab ipſo relatum pag. 29. ac 135. fuiſſe *dicatam ob Beatorum Stephani Protbomartyris & Caſſiani venerationem*, noverit hoc rurſus jugulum ejus petere; cum hinc conſequens illud ſit, quod ſicut ex eo quod illa Eccleſia cultui ſit conſecrata S. Stephani, elici non poteſt eum fuiſſe Sabionenſem Epiſcopum, haud ſecus ex cultu, utut vetuſtiſſimo, S. Caſſiani, ſimile conſectarium deduci nullatenus queat. Ut illud prætereaſn, ſatis capi haud poſſe in Feſtis Paſſavienſibus teſte Hanſizio Corollario X. celeberrimos fuiſſe dies S. Laurentii M., S. Stephani M., S. Valentini & Maximiliani, non tamen inter eos adnumeratum fuiſſe diem S. Caſſiani M., ſi fuiſſet aliquando Sabionenſis Antiſtes, adeoque dignus, cujus, velut Bajoariæ, Rhætiæ, ac Noricorum Sancti, peculiaris recoleretur memoria. Ingens quoque faceſſit difficultatis negotium, quod omnium antiquiſſimum Brixinenſe Monaſterium, cui ſæculo X. Richpertus Epi-

ſtratis, plura quidem fuiſſe mox extructa templa, ab eodem D. Ruperto conſecrata, atque dicata, alia Chriſto Deo ejuſque Genitrici, alia D. Georgio, alia D. Martino, alia D. Maximiliano, nullum tamen, vel ubi mentio occurrit D. Ingenuini Sabionenſis Antiſtitis, ac Reginoburgii ſive Ratispon æ, commemorari Templum D. Caſſiano aut conſtructum aut reſtauratum. Templum S. Laurentii, de quo mentio apud Gregorium Turonenſem, & Venantium Fortunatum, probari nequaquam poteſt ſub ipſa perſecutionum tempora excitatum, & loco Templi S. Laurentii fuiſſet ibidem erectum potius Templum S. Caſſiani, ſi hic fuiſſet primus inibi Apoſtolos. Ac Templum Ratiſponenſe S. Caſſiani, quod ann. 891. commune evaſit Urbis incendium, nuſquam itidem probari poterit, aut ſuaſu S. Ruperti ædificatum, aut S. Caſſiano, qua etiam Sabionenſi Epiſcopo, inſcriptum.

Episcopus præfuit, tutelares Sanctos adsciverit *S. Stephanum*, & *B. Ingenuinum*, prætermisso S. Cassiano; quodve primum erecta Brixinensis Cathedralis unico BB. Petri Apostoli, & Ingenuini patrocinio olim gauderet: *Qui Ingenuinus* (inquit pervetustum MS. Gothicum chartis pergamenis exaratum apud Reschium pag. 4.) *cum B. Petro Apostolo in ista Ecclesia merito obtinet Patronatum* *(a)*: adeo ut nequidem mutato postea ejuscemodi Patronatu anno 1237., tempore nempe, quo eadem Cathedralis legitur consecrata, aliis Sanctis tutelaribus ipsa fuerit nuncupata, quam *in honorem B. Apostoli Petri, & BB. Pontificum Ingenuini & Albuini*. Nonne Brixinensis Ecclesia adversus merita D. Cassiani primi ejus Apostoli ac Episcopi fuisset ingratissima, atque accepti beneficii omnino immemor, si tamdiu ejusdem cultum ac patrocinium neglexisset?

XXVIII. Cæterum ne dum illas duas Ecclesias, cum S. Petri, tum S. Laurentii, verum etiam tam Cathedralem Ecclesiam Sabionensem SS. MM. Stephani & Cassiani nomini nuncupatam, quam primam inibi Ecclesiam in honorem B. Virginis extructam, quarum itidem mentionem facit Roschmannus cap. VII. pag. 24. ac 28. recentioris esse ævi, quam ut quicquam concludi possit pro antiquissimo cultu Sancti ejusdem Martyris, ac religione Christiana in Sabionensi Noricana Valle tertio Ecclesiæ sæculo latius propagata; palam fit ex Actis S. Vigilii, ex quibus diserte colligitur, nullam, Divi ejusdem Tridentini Antistitis ætate, labente nimirum quarto sæculo, fuisse hactenus in Tridentina Urbe sacram Ædem erectam, adeo ut Sacer Præsul non in Urbe, sed *extra muros Civitatis Tridentinæ* a Valeriano Aquilejensis Ecclesiæ Episcopo fuerit consecratus, ut ajunt Acta ipsa cap. I. §. 2. ubi etiam legere est (quemadmodum habet MS. Bibliothecæ Capitularis Veronensis) quod S. Vigilius *ubi totam Civitatem ad Catholicam fidem convertit, Ecclesiam infra muros Civitatis Domino collocavit*. Ex iisdem quoque Actis c. I. §. 3. liquidum est, Sanctum Præsulem magnam Paganorum multitudinem

(a) Part. I. præcit. MS. In Part. autem II. ejusd. MS. hæc ad ann. 1237. habentur: „ B. Albuinus inter cæteros „ speciale privilegium obtinuit, ut cum „ glorioso Ingenuino unum diem fe„ stum, unam S. Altaris mensam, uni„ us Ecclesiæ Patronatum teneat indi„ visum „. Hinc patet, primam MS. Partem, in qua Ecclesia Cathedralis Brixinensis consecrata legitur *in honorem BB. Apostoli Petri & Ingenuini*, pluribus ante 1237. annis fuisse exaratam, adeoque Bartholomæi Tridentini ætatem præcedere.

nem in Territoriis Brixiensi ac Veronensi ad Christi fidem convertisse, pluresque inibi excitasse Ecclesias. Ac præterea ex ipsismet Actis testatum fit, Anauniam primo a S. Vigilio Christianis sacris imbutam, primaque Ecclesia ab eodem inibi fundata decoratam. Constat insuper ex Operibus S. Zenonis Episcopi Veronensis, uti monent supra laudati Fratres Ballerinii Differt. III. cap. I. §. III., S. Zenonem novam Ecclesiam in Veronensi Urbe e fundamentis erexisse, primumque ea aperta Christianorum conventum magna eum exultatione ibidem celebratum. Profecto S. Zeno, qui post medium quartum sæculum vixisse demonstratur, Tract. 14. L. 1. qui *de ædificatione Domus Dei* inscriptus, procul dubio ab eo habitus fuit, eum nova ædificata in Urbe Ecclesia primum patuit, hæc præfatur num. I. *Aut nullum aut perrarum est per omnem Ecclesiam Dei orationis loci membrum, quod possit quavis ruina in se mergentibus idololatriæ ædibus nunc usque aliquatenus comparari.* Idest sicut in Adnot. ad hunc loc. iidem explicant eruditissimi Ballerinii, adeo Zenonis ævo fuisse *pusilla loca orationis apud Christianos, ut nedum cum stantibus idolorum templis, sed ne cum ruinosis quibusdam* (sic enim intelligenda putant illa *ruina quadam in se mergentibus*, idest collabescentibus*) conferri queant. Cum nimirum sub Constantino primum Ecclesias publicas aperire Christianis licuit; illis initiis vel privatas domos in Ecclesiæ usum transtulere, vel si ædificarunt loca Orationis, præsenti necessitati prospicientes, ædificasse credendi sunt sacras ædes rudi, ut ajunt, minerva, quæ satis essent Ecclesiasticis Conventibus, nec cum sumptuosis idolorum templis de magnificentia contenderent.* Hæc Ballerinii in Adnot. pag. 104. qui etiam præcit. Differt. III. Cap. I. §. III. pag. CXIV. in eam maxime propendent sententiam, quod recens erecta a S. Zenone Veronæ Ecclesia, prima fuerit in Urbe Ecclesia, quæ ædificata fuit, cum antea in privatis ædibus, huic usui accommodatis, vel saltem extra Urbis pomœrium, sacra peragerentur. Atque observant quoque Diff. I. cap. II. §. IV. pag. XLIII. quod *etsi tribus primis Ecclesiæ sæculis Christiani quibusdam privatis in locis Sacros cœtus haberent, quos Ecclesias vocabant, novas tamen publicasque in eum usum ædes ædificare illis non licuit. Solum per Constantinum Imperatorem, qui Christo nomen dedit, publicarum Ecclesiarum construendarum facultas quarto primum sæculo facta est.* His præcinuerat Veronensium Antiquitatum callentissimus Maffejus L. 9. Veron. Illustr. col. 212. ubi agens de S. Proculo Veronensi Episcopo ineunte sæculo quarto, ait, consuevisse eum paucis Christianis in quodam latibulo commorari, ob metum nempe Gentilium, qui veta-

vetabant Christianis publicas ædes habere, ac publicos conventus agere, illorumque ingentem numerum, non nisi postea per S. Zenonis prædicationem, fuisse ad fidem Christi revocatum. Porro Sabionensem Vallem Anauniensi, Sabionam Verona, celebriorem quis dixerit, ut multo antea & fidem susceperit, & Ecclesias publicas obtinuerit? (a)

XXIX. Haud omiserim illud etiam animadvertere, mirum mihi videri, si S. Cassianus fuerit Sabionæ Episcopus, ejus cultu celebriorem longe fuisse cultum S. Zenonis Veronensis, etsi extrarii Episcopi, nec Martyris, sed unice Confessoris, idque in Bajoaria ipsa, Norico, ac Rhætia. Certe S. Zenonem Episcopum Veronensem impense coluere S. Corbinianus, ac Joseph, ambo Episcopi Frisingenses, cui & Joseph Ecclesiam Isanensem erexit. Ejusdem S. Zenonis cultum auxit Conradus Archiepiscopus Salisburgensis erecto sub S. Zenonis titulo Canonicorum Regularium S. Augustini insigni Collegio apud Reichenhall, de quo extant Diplomata ipsius Conradi, Adalberti Archiepiscopi Salisburgensis, Lucii Papæ, Eugenii III., Adriani IV., Alexandri III., Heinrici Bavariæ & Saxoniæ Ducis, Celestini III., Henrici Comitis Palatini Rheni, Bonifacii VIII., Urbani VI., Ludovici Comitis Palatini & Bavariæ, Martini V., Alexandri VI., Innocentii VIII., Leonis X., & Julii II. Atque alio in Diplomate dato Anagniæ Ann. Dom. MCCXCIX. Kal. Oct. Pontificat. Bonif. VIII. ann. V., cui Diplomati subsignatus legitur *Handulphus Brixinensis Episcopus*, dies *S. Zenoni Confessori* sacra, inter præci-

(a) Hocce privilegio obtinendi Ecclesias publicas persecutionum tempore, nequidem gavisa est Augusta Vindelicorum. Namque Velserus Rerum Augustanarum si quis alius peritissimus in Commeot. ad Convers. S. Afræ pag. mihi 473. ad illa verba *Fecitque Domum Hilariæ Ecclesiam*, hæc adtexit: ,, Cum persecutionum temporibus Christianis publicæ Ecclesiæ non permitterentur, assignabantur a piis hominibus sacris usibus domus privatæ, ,, sive integræ, sive partes earum præcipuæ. De hac ipsa Diocletiani persecutione S. Augustinus contra Donatistas (Brevic. Collat. 3. diei) *nam & domum privatam Christianis congregandis præstitam constitis tempore persecutionis, sicut in quibusdam gestis Martyrum loquebatur*. Et multo vetustior Pius I. Pontifex ad Justum Episcopum, *antequam Roma excisses, soror nostra Eutrepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignavit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes, missas agimus*.,, Quin imo ipso inclinante sæculo IV., sublatis jam diu persecutionibus, adeo difficile erat templa excitare illis in locis, ubi adhuc Pagani degebant, ut in Fastis SS. MM. Anauniensium legere sit: ,, Sisinnius quidem Sacellum suo sumptu ædificaverat &c. ,, quocirca concitato in ipsos indigenarum odio &c.,,

præcipuas totius anni ſolemnitates, *indulgentiis quadraginta dierum* locupletatas, compntatur &c. Mirum itidem quod S. Vigilius Tridentinus plures nactus fuerit in Brixinenſi Diœceſi Eccleſias, quam S. Caſſianus, ſi hic, & non ille, fuerit verus Eccleſiæ Sabionenſis Epiſcopus. Namque S. Vigilius ſequentes juxta Roſchmannum pag. 33. in Brixinenſi Epiſcopatu obtinuit Eccleſias ſoli ipſi dicatas, nempe *ad Caſtrum Ruptum*, *ad Aſceterium Sonnenburg*, *in Picolina*, *in Valle Virginia*, *& in Pago Thaurenſi Vallis OEnanæ:* ubi e contrario Eccleſia Sabionenſis non ſoli S. Caſſiano erecta eſt, ſed & primo loco S. Stephano, neque Brixinenſis ipſi ſoli, ſed & S. Ingenuino: ac Burgklechnerus illi extructum recenſet unum Templum *Perchæ in Valle Puſtriſſa*. An, rogo te, S. Caſſianus adeo paucis Templis fuiſſet honeſtatus in ea Diœceſi, cujus fuiſſet primus fundator, Apoſtolus, Epiſcopus, & Martyr? Neque eſt ad rem exemplum S. Proſdocimi primi Vallis Euganeæ Apoſtoli (*a*), qui tamen in ea Valle nullo gaudet Templo; quia non fuit Martyr, neque Vallis Euganeæ Epiſcopus, ſed Patavii. Extra rem quoque eſt exemplum S. Lucii primi Rhætiæ Curienſis Apoſtoli, binis duntaxat in locis, tanquam Tutelaris & Patronus, in Diœceſi Curienſi cooptati; quia in Martyrologio Romano 3. Decembris, ac 26. Maii tanquam Regis, non tanquam Epiſcopi & Martyris, memoria ejus recolitur. Extra propoſitum quoque SS. MM. Anaunienſium Siſinii, Martyrii, & Alexandri exemplum, unum in ea Valle Templum habentium (*b*), quia ut Martyres, non ut Epiſcopos,

(*a*) Si per Proſdocimum Patavinum Præſulem a D. Petro Apoſtolorum Principe conſecratum ac miſſum, Euganeæ Valli, ut ferunt, Chriſtianæ fidei lumen adfulſerit, valde adgratolandum ei. Sed hæc de S. Proſdocimo monet Maffejus Veron. Illuſtr. L. 8. col. 125. *Padova comincia da S. Proſdocimo, che ſi fa ordinato Veſcovo da S. Pietro nell' anno 46., e per condur le coſe al diviſato ſegno, ſi fa durato nel ſacro miniſtero anni 93. e campato 124. Con che autorità tali maraviglie ſi aſſeriſcano, non è in uſo di ricordare. Ma chi le aſſeriſce le ſuol diſtrugger ancora, ricevendo gli Atti di Santa Giuſtina, e di San Proſdocimo, ne' quali ſi ha come quella fu martirizzata ſotto Diocleziano, e che queſti diè ſepoltura al ſuo corpo.*„

(*b*) „ Nemo eſt (inquit Roſchmannus pag. 34.) vel modice tin„ ctus, vel inter eruditos vel obiter „ verſatus, qui non celebrem in Latina „ & Græca Eccleſia cultum SS. MM. „ Anaunienſium Siſinii, Martyrii, & „ Alexandri noverit, & de quibus tot „ SS. PP. ſuperſunt teſtimonia, Paulini Nolani, Auguſtini, Gaudentii „ Brixienſis, & Maximi Thaurinenſis, „ ut noſtrum primumque eorum præ„ conem S. Vigilium taceam: & ta„ men præter Templum illud inſigne „ in Valle Ananiæ, ubi conditi ſunt, „ nul-

ſcopos, dicta Vallis eos colit. Extra orbitam etiam vagatur exemplum S. Romedii ejuſdem Vallis Anaunienſis incolæ, uno itidem in ea Templo donati; quia non ut Martyr & Epiſcopus, ſed ut Sanctus duntaxat Eremicula ibidem celebratur (a). Miſſa quoque

„ nullom aliud, niſi aotiquiſſimnm in „ Valle Venuſta prope Laa in Diœceſi „ Curienſi bactenua inveni. „ Potuiſſet tamen alibi quoqoe facile inveoire enltum, io aliia qooque aotiquioribua Ecelefiia, ipſia delatum, oedum Tridenti, verum & Brixiæ, Mediolani, Romæ, Thaurini, Raveonæ &c. Idque diſcere nullo negotio ex Actia S. Vigilii, ex hujns Epiſtola ad Simplicianum, ex Sermooe quodam S. Gaudentii Brixienſis, ex Vita S. Ambroſii, quam ſcripſit non S. Paulinus Nolaoua, ot Roſebmannua putare videtur, ſed alios Paulinus, ex Venaotio Fortnoato &c. Nonne ipſe laudat pag. 148. & ſeq. iſtum Venantium? Ne gravetur ergo ipſum de S. Vitale Marryre Raveonate ita canentem andire Lib. I. cap. 2:

Vitali domns ipſa placet, qni vivus arenia
Defoſſus meruit perdere mortis iter.
En Vigili hic arx eſt, qnem ruſtica torba peremit,
Unde mori voluit, mors magis iſta fugit.
Iucolit bæc pariter Maturius atqne Siſennna,
Quos genua atque fides, & tenet uoa ſalua..
Saoctua Alexaoder, felixqne Cæcilia polleot,
Quoa meritis omnes una corona maoet.

Agit hic loci Venantiua Fortunatns de Baſilica S. Andreæ Raveooæ a Vitali Epiſeopo Ravennate erecta. Vixit bic Vitalia Epiſcopua circa anoum Domini quingenteſoimum ſeptuageſimom, quibus etiam temporibua claruit Venaotiua Fortuoatoa, qni Ravennæ outritos, ibidem etiam liberalea didieit diſciplinas, ut ſcribit poſt Paulum Diaconom de Geſt. Longob. Lib. 2. c. 9. Baroniua in Not. ad Martyrol. Rom. 28. April. Quod autem Paulinus, qui in Vita S. Ambroſii meminit SS. MM. Anaunienſium, non fuerit S. Paulious Nolanua Epiſcopna, patet, qnia Clericua fuit Mediolaoenſi adſcriptua Ecelefiæ; eamque Vitam ſeripſiſſe fertur a D. Auguſtioo exoratua. Nec gravea rationea deſunt, qoibua ſuadetur fuiſſe ipſumet, qui, cnm an. 412. Ecelefiæ Mediolaoenſis Diaeonua eſſet, evulgavit Libellum adverſos Cœleſtium ad PP. Conc. Carthag. directum, qnive ſub Zoſimo Pootifice adverſus Cœleſtianos agere perrexit. Adeoque Paullnua ille Mediolaneoſis Diaconna, ae juxta alioa etiam Presbyter, cnm Paulino Nolano Epiſcopo nullatenus confundendus. Ac ſane mirnm ita ſeripſiſſe Roſebmaonnm de Paulioo Nolano, ae de gemioiſ duntaxat templia dicatis Saoctia tribus Martyribna Anannienſibua, cum facile diſcere a Tartarotto potniſſet in Opnſeulo *Memorie Iſtoriche* &c. pag. 43. Paulioum referentem miraculnm eœci extemplo loce donati uno tactu reliqoiarum prnfatorum Martyrum, non fuiſſe Nolaoum Epiſeopom, ſed Mediolanenſem Preabyterum, ae pag. 46. & 47. cultum eorum ad longe plures aliaa Ecelefiaa exteoſnm; atqne ab Actis edoceri qnoque potuiſſet, D. Vigiliom ex Anauoia ad Trideotioam Urbem redncem in eorundem memoriam erexiſſe Ecelefiam præter illam, quam eogitavit conſtroere in loco martyrii &c. Modo Tridenti Oratorium ſive Saecllom extat intra Palatium, quod vulgo voeitatur *del Golaſſo*, SS. tribua MM. Saerum, ae forte eo loel olim erat Eeeleſia a D. Vigilio eooſtrocta, in cujus injuria temporum dirutæ memoriam Saeellnm illnd ſucceſſit.

(a) Præter dnaa ſacraa ædea, unam in Anauoia, aliam in Pago Amblar, ipſi dicatas, qnaa memorat Roſchmannus pag. 34., altera extat in diſtrictu Parœciæ Saccenſis infra Roboretum &c.

que facio exempla tum S. Lucani, quem non fuisse certum Sabionensem Episcopum, hoc ipsum probat, quod ei, fatente Roschmanno pag. 35., in Brixinensi Diœcesi vix unica sacra ædicula dedicata sit; tum B. Hartmanni Brixinensis quidem Præsulis, sed cujus Sanctitas in Fastis Ecclesiasticis satis pervulgata non est. Quo pacto pessum eunt penitusque corruunt omnia exempla, a Roschmanno pag. 34. cumulata, ad infringendum Burgklechneri argumentum contra Sabionensem S. Cassiani Episcopatum.

XXX. Dein quia S. Romedius non ad Sabionensem, sed ad Tridentinam Diœcesim, cui S. Vigilius præerat, divertit, hinc conjecturæ locus est, nullum ergo Sabionensem Præsulem agnovisse. Idem dixerim de Jacobo Viro illustri Rhætiæ Comite (a) a D. Vigi-

(a) Comitem vocat utriusque Imperii Notitia, his ipsis confecta temporibus tali pacto: *Sub dispositione Viri Spectabilis Comitis Rhætiæ primæ & secundæ*, apud Rosch. pag. 49. De vetusta dignitate Comitum, qui Socii ac adjutores erant pro Republica rite administranda, magistratibusque gerendis, loquitur Cicero ad Q. frat. L. 1. Ep. 1. Svet. c. 42. &c. Nomen hoc apud Priscos militarem quoque dignitatem significasse probat Maffejus. Videsis Lib. VIII. Veron. Illustr. col. 178. ac seqq. ubi de more perquam erudite disserit de præclaris veterum Comitum muniis. Quin etiam Lib. X. col. 265. aperit, ad quid significandum sequioribus sæculis nomen Comitis adhibitum fuerit, ut videlicet significaretur jus habena in qualis qualis amplitudinis territorium. Quippe de Comite Lagarinæ Vallis, qui se se incursioni Francorum objecit a Paulo Diacono relatæ hæc narrat: *Mossesi contro di loro Ragilone Longobardo Conte di Lagaro, ma fu rotto ed ucciso da Cramniche comandante de' Franchi, il quale poco dopo saccheggiò Trento. Ma inseguito da Evino Duca di quella Città, e raggiunto a Salerno, luogo che sussiste ancora poco di qua da Egna* (Inia ab Anonymo Ravennate vocatur, Endidejum in Itinerario) *restò trucidato con molti de' suoi. Quel Conte di Lagaro sembra farsi intendere, come la Val Lagarina fosse così detta da Terra e Castello di questo nome, vane però essendo le popolari favole. Ci fa conoscere ancora, come formava governo da se, e com' era introdotto fin da quel tempo, che qualche grossa Terra con parte de' distretti delle Città si reggesse da Conte.* Quo spectat etiam vetustus Comitatus *Teriolis* vocitatus, ab hodierno pago *Tyrol* prope Castrum totius regionis princeps, in quo pago Urbem olim fuisse & Coloniam Romanam probare Roschmannus conatur in Actis S. Valentini, atque in eodem loco collocandam putat hic pag. 48. *Legionem tertiam Italicam in Rhætia* a Marco Antonino institutam, cujus mentio est apud Dionem, nec non apud utriusque Imperii Notitiam, in qua Teriolis una cum Præfecto præfatæ Legionis diserte commemoratur. Ut vel hinc pateat, an non Tridentum utpote Ducali olim sede ornatum, ac in medio adeo illustrium Comitatuum collocatum, Veldidenæ Roschmannicæ jure sit præferendum. Nomina Comitis ac Ducis in Rhætia nostra vetustissima sunt, adeo ut *Italici Comitis Rhætiarum* meminerint Acta Faustini & Jovitæ apud Sur. Tom. 1. Martyr., ac *Ducis Rhætiæ limitis* Vopiscus apud Velserum Rer. Aug. Vind. Lib. 6. pag. mihi 298.

Vigilio ad S. Jo. Chrysostomum ablegato. Hæc enim missio satis innuit ipsum potiori jure ad Tridentinum, quam ad Sabionensem Antistitem pertinuisse, Urbemque Rhætiæ principem cum Cluverio Tridenti, non Veldidenæ cum Roschmanno constituendam. Unde satius fuisse, ut Roschmannus ab hoc exemplo hujus Præsidis temperasset pag. 49., ne adversus Veldidenam suam hanc Camarinam moveret.

XXXI. Quod autem inquit ibidem Œnipontanus Auctor: *Hic Rhætiæ Præses non solum Diœcesi aut Urbi Tridentinæ vindicari potest sed fortiori forsitan jure Sabionensi; nam licet fixam sedem nullibi habuerint Provinciarum Præsides, ut ex Plinii Secundi Epistolis egregie docuit Illustrissimus Comes ipse Scipio Maffeius, sunt tamen non ignobiles Auctores, qui hyemis tempore illos in Urbe totius regionis principe moratos fuisse credunt, quæ Veldidenæ fuit in Diœcesi Sabionensi sita:* lepidum est, quasi vero Præses ille æstivo tempore Tridenti velut ad refrigeria residere consueverit, hyberno autem Veldidenæ moram trahere, mitioris auræ respirandæ, cœlique temperatioris potiundi causa, in delitiis habuerit; nec verosimilius longe sit quod æstate Tridentinas Alpes petere, hyeme autem ad Tridentinam ipsam Urbem in amœniori planitie positam remeare solemne ipsi fuerit, sive potius ad Palatium in Antonini Itinerario inter Tridentum & Veronam, ab ista M. P. XXXVI. collocatum. Certe Marchio Maffejus Epistola ad Nicolaum Coletum differens de *Regulo* quodam Rhætorum montibus imperante, cujus filiam S. Zeno Episcopus Veronensis a malo spiritu sanasse in ejus Vita perhibetur, quem *Regem* quidem Coronatus adpellat, sed *Regulum* fuisse suspicatur Papebrochius, *Princeps*que in Missali Ambrosiano nuncupatur, nequaquam Veldidenæ residentem facit, sed supra Veronam versus Tridentum in præfato Itinerarii *Palatio*, (*a*) cujus quoque Palatii fit mentio in eadem

(*a*) De hoc *Palatio* hæc accipe ex Maffejo Veron. Illustr. Lib. 6. col. 119. *L'Itinerario detto d'Antonino nel Viaggio d'Augusta a Verona, fra Trento e Verona,* 36. *miglia da questa, mette* ad Palatium. *Rimane il nome di Palazzo ancora ad alcune reliquie d'antichi muri presso S. Margherita di là da Ala; sito che in oggi si calcola poco più di trenta miglia distante da Verona, secondo la differenza dello antiche miglia da noi osservate. Le Carte del Magini mettono quivi* Manison, *il qual nome mostrerebbe essere vi stata* Mansione. Porro Veronensis districtus partem, saltem Alpibus in Septentrionem protensis proximam, ad Rhætiæ Præsidem utcumque pertinuisse, satis innuit insignis Lapis Vallis Pulicellæ ad S. Florianum, de quo idem Maffejus Lib. VIII. Veron. Illustr. col. 175. loquitur in hæc verba: *Insigne Lapida abbiam nel Museo, eretta da*

dem S. Zenonis Vita atque hinc satis colligi posse opinor, haud Veldidenæ constituendam fixam sedem Rhætiæ. primæ & secundæ Rectoris, quem *Comitem* in utriusque Imperii Notitia, his ipsis temporibus confecta, vocatum novimus.

XXXII. Præterea, cedo mihi, quei Præses laudatus vindicandus potius fuerit Diœcesi Sabionensi, quam Tridentinæ, si illa incerta tunc temporis omnino sit, hæc autem indubia? Incessit etiam animum cupido rescinendi a Roschmanno, cur S. Vigilius, qui ad S. Simplicianum Mediolanensem Episcopum Sanctorum Martyrum Anauniensium reliquias direxit, misit quoque ad conterminum Episcopum S. Gaudentium Brixiensem &c.. nec hilum tamen legatur, de illis destinasse ad proximum Sabionensem Episcopum, tametsi Præses ad illam Diœcesim, ut Auctor putat, spectans, ad Joannem Constantinopolitanum iis onustus expediretur? Nonne, si hic conjecturis indulgere volupe fuerit, fas est dicere, quod sicut S. Vigilius, ut zelum suum quoquoversus exporrigeret, ac in præclaros faceret effluere fontes, in Diœceses proximas, Veronensem a meridie, ac Brixiensem ab Occidente, excurrit, ut idolis ac delubris solo æquatis Crucis vexillum illis superstrueret erigeretque; idipsum præstiterit in proximo Rhætiæ districtu Septentrionem versus, ut adeo opus non

---

da un Centurione della Coorte prima di Cittadini Rumani Ingenui *in onore di Cecilio Cisiaco* Vicelegato della Provincia Rezia, e Vindelicia, e Valpenina. .... *Non poco mette in pensiero l'essersi trovata la Lapida del nostro Cisiaco Vicelegato della Rezia, e della Vindelicia a S. Floriano in Valpulicella. Disse Strabone, che arrivavano i Reti* fino all' Italia sopra Verona, e supra Como; *e Dione, che tenevano fino all'* Alpi Trentine prossime all' Italia. *Ma dovremo arguire da questo marmo, che al Preside della Rezia una parte del Veronese fosse sottoposta? Che quella parte fosse tenuta veramente per Rezia, lo mostra il famoso vino, il qual facea nel Veronese, e si dicea Retico: nè come altri ha pensato, può credersi, che così si chiamasse per essersi fatti venir dalla Rezia i tralci dell' uve, nel modo, che a cagion d'esempio si chiama Calabrese un vino, che fa in Sicilia; poichè non par credibile, che si fossero cercate uve nell' Alpi. Che il nostro distretto parte fosse computato co' Reti, e parte co' Veneti sembra indicar Plinio, il qual forse non dell' origini, ma del sito intese, quando disse esser Verona degli Euganei, e de' Reti* &c. Lapis præfatus, cujus etiam meminit Velserus Rer. Aug. Vind. Lib. 6. pag. 297., satis indicat, *Cæcilium Cisiacum Prolegatum Provinciæ Rhætiæ, & Vindeliciæ, & Vallis Peninæ* haud multum absuisse a Veronensis Territorii limitibus versus Tridentinas Alpes, neque proin aut Curiæ, aut Augustæ Vindelicorum, aut Veldidenæ Urbibus nimis a loco dicti Lapidis dissitis fixam habuisse sedem, sed potius Tridenti, Urbe Veronensibus confiniis proxima, aliquando saltem consedisse.

non fuerit novo Sabionensi Episcopo lucrandis Christo animabus instituto, atque hinc probe intelligi, cur Romedius Thaurensis, ac utriusque Rhætiæ Præses, nullum alium Antistitem, quam Tridentinum, agnoverint; caussam etiam innotescere, cur ad hanc usque diem Diœcesis Tridentinæ limites a veteris Sabionæ ruderibus propè absint, (a) curque S. Vigilius Tridentinus in ipso Sabionensis Diœcesis districtu plura, quam D. Cassianus, Templa ipsi sacra obtinuerit?

XXXIII. Adde, quod si Sabionensis Ecclesia quatuor primis sæculis suos numerasset Episcopos Conciliis in Italia tunc coactis aliquando interfuissent, subscripsissentque, cum primis illis sæculis Rhætiam fuisse sub Italia comprehensam nemo unus ignoret. Haud me quidem latet Clarifs. Marchionis Maffeii effatum ab Auctore relatum pag. 56. ad calcem: *Episcopos paucos in primis Conciliis subscriptos reperiri*; sed neque sum nescius, Aquilejensi Synodo anno æræ vulgaris 381 adversus Palladium & Secundianum Arianos Episcopos congregatæ, atque ab eodem Auctore itidem laudatæ pag. 78. interfuisse quidem ac subscripsisse una cum S. Ambrosio Abundantium Tridentinum, nullum autem Sabionensem Præsulem. Ad quem proin Auctor pag. 62. obtorto collo trahere videtur illa D. Ambrosii verba ad Ecclesiam Vercellensem directa: *conficior dolore, quia Ecclesia Domini, quæ est in vobis, Sacerdotem adhuc non habet: ac sola nunc ex omnibus Liguriæ, Venetiarum, vel cæteris finitimis Italiæ partibus hujusmodi eget officio*. Quasi vero D. Ambrosius *per partes Italiæ finitimas* Sabionensem potius Rhætiam, quam aut Rhætiam Tridentinam, aut Regiones Illyricas, intellexerit. Quo uno in fumum abit conjectura Roschmanni petita ab Ecclesiæ Mediolanensis Episcopis *pro universæ superioris Italiæ, ac Rhætiæ Pastoribus* (ut inquit

(a) Brixinensem Episcopatum incipere, ubi Tridentinus terminat, scilicet a Clausa proxime sub Sabione sita, atque in OEnanam Vallem desinere, discimus ex eo, quod Gervoldus recitat, Conradi II. Imperatoris Diplomate dato 7. Id. Junii anno Incarnationis Dominicæ 1027. Indict. 9. (corrige 10.) Regni ejus anno III. Imperii I., quo *in proprium tradidisse* testatur *S. Brixinensi Ecclesiæ, in honorem S. Cassiani Martyris, nec non & Ingenuini Confessoris constructæ, Comitatum quondam Welfoni commissum, ab eo scilicet termino, qui Tridentinum a Brixinensi dividit Episcopatum, quousque longissime porrigitur in Valle OEniana cum Clausa sub Sabione sita*. Ex quo Diplomate recte notat Bollandus, firmari conjecturam Cluverii, locum *Sublavione* dictum in Antonini Itinerario, *Sublabione* in Tabula Peutingeri, rectius *sub Sabione* vel *sub Savione*, fuisse circa Brixinonem, a qua Urbe non longe Clausa distat.

inquit Auctor pag. 79) summe sollicitis. Profecto si Ambrosii ævo ullus fuisset Sabionensis Ecclesiæ Episcopus, qui curæ esset eidem Ambrosio, cur, amabo Te, ad illius institutionem Divus ille Mediolanensis Præsul Epistolam nullam submisisse legitur, uti institutionem Pastoralem ad S. Vigilium Tridentinum, direxit? Cur ad illam colendam vineam nullos operarios destinasse perhibetur, uti triumviros Cappadoces Sisinium, Martyrium, Alexandrum, Tridentum ad S. Vigilium misisse certum est? Cur nullibi reperire est, aut scripsisse unquam ad ullum Sabionensem Præsulem, quemadmodum scripsisse constat ad Syagrium Veronensem Episcopum Zenonis successorem, aut cum aliquo Sabionensi Antistite ad ullum convenisse Concilium, uti ad præfatam Aquilejensem Synodum nedum una cum Abundantio Tridentino, sed & cum Philastrio Brixiano Episcopo accessisse indubium est? Num forte Aquilejensis illa Synodus, sede Sabionensi vacante, celebrata est? Sed quis credat Metropolitam Mediolanensem eam Ecclesiam Pastore orbatam illo tempore reliquisse, quo Lupi rapaces passim Christi Gregem depascebantur? Capio quidem, proximiores Episcopos illi Synodo omnes non interfuisse, cum eorum defectum facile potuerit, aut Ambrosius, aut Valerianus supplere: non ita vero Sabionensis Antistitis, cujus Ecclesia longe dissita fuisset ab eorum pastorali cura, sive absentiam, sive mortem. Forte etiam non invenitur eidem Concilio se se subscripsisse Veronensem Præsulem, quod ejus Ecclesiam hæresi Ariana omnino purgatam reddiderit pastoralis sollicitudo S. Zenonis, qui plura contra hujusmodi hæresim commentatus legitur: Hac vero lue tunc non laborasse Sabionam credat qui potest. Ubinam est ergo illa summa cura, quæ (si audiamus Roschmannum pag. 79.) D. Ambrosium tangebat de Rhætiæ Sabionensis Pastoribus, si Arianam hæresim per Rhætiam utramque late grassantem exterminare nequaquam curaverit, vel novum sufficiendo ab se institutum consecratumque Episcopum, vel advocando ad præmemoratam Aquilejensem Synodum insimul utrumque Episcopum cum Tridentinum, tum Sabionensem? Numquid satis superque fuit magno Mediolanensi Antistiti, ad Synodum secum ducere Abundantium Tridentinum, quod eo tempore Ecclesiæ Rhæticæ solus præesset? Quod si ita sit, ut quid alius tunc in Rhætia Episcopus Sabionensis statuitur? Ut quid etiam aliud Rhætiæ caput a Tridento distinctum in Veldidena reponitur?

XXXIV. Atque ex his satis datur intelligi, cur Ariana hære-

hæresis (a) in Sabionensi districtu altas adeo radices egerit, ut nequidem Aquilejensis Concilii præfati, aut aliorum postea subsecutorum opera, exscindi potuerit, eaque adoleverit, perduraveritque vel ad usque tempora Ingenuini primi Sabionensis Antistitis, qui ea de caussa exilium passus fertur: quia nempe ad illud usque ævum nullus inibi hactenus certus Antistes præfuerat, qui eidem radicitus amputandæ incubuerit; illamque latius serpere per Noricanam Sabionensem Vallem cœpisse Longobardorum hæresi Arianæ faventium ætate. Non quod Ingenuinus a Longobardorum aliquo Rege hæresi Ariana infecto apud Brixinonem Germaniæ urbem in exilium pulsus fuerit, uti eum Baronio, Pagio &c. sentit Roschmannus pag. 68.; cum satis minime constet, Longobardorum ditionem ultra Metas Longobardicas (vulgo *Mezzolombardo*) aut saltem ultra Majas prope Meraniam, fuisse exporrectam, concedatque Roschmannus pag. 85., quod Rhætia secunda, cujus in Epistola ad Mauric. Imperat. se Ingenuinus Episcopum scripsit, sub ea tempora Bavariæ & Norici (excepto Ducatu Tridentino ad Longobardos pertinente) pars esset hæc regio, neque adhuc Brixiana, ad quam exul amandaretur, extaret, utpote, fatente ipso Roschmanno, longe postea constructa: sed quod Arianorum furore ac persecutione tunc illic (b) maxime invalescentium exilium illud contigerit, ut facile accidere potuit ea in regione ac tempore. „ Quum essent (verba „ mihi mutuari ab Hansizio de S. Ruperto l. Salisburg. Episc. „ pag. 39. sub Num. XIV. fas sit) & Sacerdotes incerti, de quo„ rum nec ordinatione, nec fide constabat, ut colligitur ex Ca„ pitulo I. Capitularis Gregoriani, *& Episcopi incerti*, ut ex Cap. „ III. & IV. liquere potest, diserteque asserit Arnolphus Voh„ burgensis: inde fieret, ut religio quoque esset vulgo incerta „ & pro-

---

(a) Ab hac hæresi penitus purgatam haud fuisse Diœcesim Tridentinam nequidem tempore D. Vigilii, qui Abundantium continuo excepit, Tridentinæ Ecclesiæ Acta testantur.

(b) Haud mirum ea tempestate usque adeo grassatam fuisse per Noricum Arianorum hæresim, cum ea quoque hoc ipso ævo per Italiam gliscere cœperit, Longobardis ipsis impense faventibus: *Autari* (inquit de Longobardorum tunc religione in Italia Maffejus L. 10. Veron. Illustr. col. 267.) *si crede fosse il primo, che volesse esser Cristiano, ma abbracciò la Setta Ariana, talchè sotto di lui due Vescovi erano quasi in ogni Città, un Cattolico, ed altro Ariano. Verso il fine di sua vita vietò il battezzare secondo la fede Romana i figliuoli de' Longobardi, come si ha pur da S. Gregorio. Dopo Agilulfo Rotari fece trionfar l'Arianismo di nuovo, ed Ariano fu parimente Arioaldo, come si ha da Giona &c.*

„ & promiscua, prout quemque libido ferebat; usque adeo ut „ nonnulli inscitia mysteriorum ritus paganos, alii Christum „ non pure tamen, sed vel ex hæreticorum impostorum præ„ scripto, vel ritu superstitionibus paganorum infecto sequeren„ tur &c. „ Certe S. Valentinum ex Abbate Rhætiarum Episcopum Arianorum factione similiter exulasse, antiquorum monumentorum auctoritate testatum habetur apud Velserum L. 3. Rer. Boic. pag. mihi 93. Idque firmatur cum ex Tabula plumbea apud Roschmannum in Vita S. Valent. pag. 16. in qua legitur. „ Populi autem videntes eum instanter prædicantem una cum „ Arianis restiterunt ei, & ejecerunt non sine læsione de fi„ nibus suis, = tum ex Proprio Curiensi de S. Valent. Lect. 5. „ Impia Patavorum turba, ac pertinaces Arianorum asseclæ „ pium tandem Antistitem, postquam nulli pepercisset labori, „ e suis finibus exulatum abire compulerunt „. Quod ipsum de S. quoque Ruperto refert Vita apud Surium, laudaturque ab eodem Velsero L. 4. pag. mihi 99. Hinc placet quidem quod narrat Baronius Tom. VIII. Annal. ad ann. 13. Heraclii Imperatoris ann. 29. quod sub ea tempora: *Si qui Episcopi æstuantes zelo Catholicæ Religionis urgerent Arianos, exilio mulctarentur*, non autem ita probatur, quod D. Ingenuini exilium tribuat ulli ex Arianis Regibus Longobardorum. Exilium ergo Ingenuini accidit quidem imperantibus in Italia Longobardis, sive eorundem jussu ac persecutione, sive rogatu, seu potius aliunde contigerit. Verius mihi videtur scripsisse magnus Baronius in Not. ad Martyrolog. Rom. 5. Febr. de S. Ingenuino. *Fuit prior Episcopus Sabionensis, qui cum temporibus Longobardorum in exilium pulsus esset, ibi mortuus est*. &c. Vere itidem scriptum legitur a Fratre Bartholomæo apud Petrum de Natal. L. 3. c. 86.: *Sanctus Ingenuinus actus in exilium in pace quievit*. Non ait Bartholomæus, quod habet Proprium Brixinense: *Sub Autbari Flavio Longobardorum Rege Italiam devastante in exilium pulsus est*: inquit unice sub eo Rege cœpisse Ingenuinum Sabionensem Episcopum agere: *Hujus tempore Longobardi Italiam occuparunt, regnante eorum Rege Austerich*. Adeo in Actis ipsis multiplici falsitate corruptis sublucet aliquis veritatis radius. Cæterum Acta omnia concordant in hoc, quod Ingenuinus in exilio postremum diem clauserit. Cur autem exilium passus dicitur? An ob defensata tria Capitula? minime gentium. Nihil enim ipsi metuendum erat ab Exarchis Ravennatibus damnationi trium Capitulorum impense faventibus, utpote extra jactum sagittæ longe constituto. Nec ea de

caussa

caussa Agnellus Tridentinus ullum perpessus est exilium. Ergo hæreseos Arianæ, quam oderat, & insectabatur, caussa exul obiisse credendus est, uti eadem de caussa Valentinus antea exul obierat.

XXXV. Hactenus ad hominem, contra Roschmannum contendentem primis sæculis omnes Italiæ Ecclesias principem post Romanam omnium Magistram, Mediolanensem coluisse, ac ipsas Rhætiæ I. & II. Ecclesias Mediolanensi paruisse. Quamvis enim Cap. XV. pag. 77. præfatus fuerit: *Hoc verum esse citra ullam, cui me non immisceo, de jure metropolitico ejusque origine controversiam*, nescio tamen, quid magis significet jus metropoliticum Ecclesiæ Mediolanensis, super cæteras Italiæ ac Rhætiæ I. ac II. Ecclesias, quam quod idem eodem cap. paulo infra a pag. 80. scribit, nimirum: quod sicut olim *Provinciæ plures Vicario Italiæ, Mediolani constituto, parebant in civilibus, ita in sacris Mediolanensi Antistiti erant subditæ. Provinciæ autem erant hæ: Venetia, & Istria, Æmilia, Liguria, Flaminia cum Piceno, Alpes Cottiæ, Rhætiæ I. & II.* Unde colligit: *Indubium ergo hinc fit, Ecclesias Rhætiæ I. & II. ad Mediolanensem respexisse Episcopum, Tridentinam nempe, Curiensem, Sabionensem, & Augustanam*. Id quod quidem nequaquam indubium videtur Cl. Rubeo in Monum. Eccl. Aquilejens. c. XX. a col. 118 ubi pro certo habet quidem, jus metropoliticum Mediolanensis Ecclesiæ, quarto D. Ambrosii sæculo, latius patuisse, (*a*) vel ad Ecclesiam Foro-Corneliensem, juxta D. ejusdem Ambrosii Epistolam anno circiter 379 datam ad Constantium Episcopum, & ad Ecclesiam Comensem, juxta Epistolam anno 380. *Felici* Comensium Episcopo ab ipso ordinato scriptam; & ad Ecclesiam Veronensem, juxta Epistolam eodem circiter anno 380. ad *Syagrium Veronensem* Episcopum in causa Indiciæ Virginis datam; & ad Ecclesiam Vercellensem, juxta Epistolam ad ipsam directam anno 396. &c.: quod tamen Ecclesiam Tridentinam spectat, rem perplexam & ambiguam existimat. Quamvis enim extet cum Epistola ejusdem D. Ambrosii Mediolanensis Epi-

(*a*) Fatetur etiam Marchio Maffejus Veron. Illustr. L. 10. col. 281. *Ben ne' tempi di S. Ambrogio Vescovo di Milano gran menzione e gran riscontri si veggono d'ampia giurisdizione ecclesiastica da lui esercitata. Concorsero a contribuirla il sommo credito e la gran condizione del Personaggio, l'aver lui da molte Città estirpato l'Arianismo, e il far la Città di Milano allora in tutta la Civil Diocesi d'Italia la prima figura. Verona certamente per sue Primate lo riconobbe* &c.

Episcopi ad Vigilium Episcopum Tridentinum, qua ipsum ad Sedem Tridentinam recens adlectum admonet, ne fideles patiatur cum infidelibus inire conjugia; tum ejusdem D. Vigilii Tridentini Episcopi Epistola ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum, in Ambrosii locum suffectum, qua Sanctorum Martyrum Sisinii, Martyrii, & Alexandri triumphum narrans, vocat ipsum in Epistolæ exordio *Venerabilem Patrem*, eundemque in fine salutat *spetiali servitio*, ubi in alia ad Joannem Chrysostomum Epistola, *Fratrem* duntaxat ac *Fratrem cha.issimum* nuncupat: nihilo tamen secius hæc minime decretoria arbitratur prælaudatus Rubeus, ut indubie definiri queat, Mediolanensi potius, quam Aquilejensi, in Tridentinam Ecclesiam jus metropoliticum ævo hoc convenisse: „ Cur enim (ait cap. IX. col. 88.) Ambrosius „ institutionis Epistolam non scripserit Vigilio, qui eam postu- „ laverat? *Poposcisti*, inquit, *a me institutionis tuæ insignia*. Ut pe- „ teret autem novus Episcopus, quam optabat, institutionem, „ non auctoritas Ambrosii ex jure metropolitico promanans im- „ pellebat, sed fulgentissima sanctitatis & doctrinæ claritas. Cur „ etiam *Patrem* Vigilius non appellaverit Simplicianum, tametsi „ velut Metropolitam suum non coleret, in quo nondum Epi- „ scopo Ambrosius ipse, *& veteris affectum amicitiæ, & quod plus* „ *est paternæ gratiæ amorem recognoscebat*, ut in ejus legimus Epi- „ stola XXXVII. in Editione Neurriana? Eoque vel magis, quod „ Ambrosio successit ipse jam *ævimaturus*, teste Paulino in ejus- „ dem Ambrosii vita. Quod vero Simpliciano Mediolanensi, glo- „ riosam Martyrum passionem sollicitus referat, causam profe- „ runt eorum Acta, ubi legimus eos natione *Cappadoces Medio-* „ *lanum venisse, & ibi cum S. Ambrosio* (decessore Simpliciani) „ *per aliquod tempus commoratos esse:* ac demum Tridentum pro- „ fectos, initiatumque Sisinium a Vigilio *Diaconum*, Martyrium „ *Lectorem*, & Alexandrum *Ostiarium*. Par igitur erat, ut cer- „ tiores Mediolanenses de illorum passione, quos olim habue- „ rant concives. Hinc etiam simili ratione permotus Vigilius „ ad Joannem Chrysostomum dedit Epistolam, qua Græcos ho- „ mines, in Valle Anaunia (vernacule *Val di Non*) in agro „ Tridentino martyrii palma insignitos, Græciæ notos ac illu- „ stres redderet. „ Hinc præcit. cap. XX. col. 187. in eam maxime propendet Rubeus sententiam, ævo D. Vigilii Tridentini, ac D. Valeriani Aquilejensis, Tridentinam Ecclesiam Metropoli Aquilejæ paruisse, eidemque D. Cassiani sæculo, Sabionam in Noticis fuisse subjectam. Unde cum ait col. 182. per *Finitimas*

Italiæ

Italiæ partes, ad quas metropolitica Ambrosii sollicitudo protendebatur, uti præfert præmemorata ejusdem Epistola ad Ecclesiam Vercellensem; intelligendas præ Illyrico fore *Rhætiam primam & secundam*, per has minime accipit Ecclesiam *Tridentinam* ac *Sabionensem*, sed *Curiensem* atque *Augustanam*, cum in Synodo Mediolanensi ab Eusebio celebrata, non se quidem inter Suffraganeos cæteros subsignaverint Præsules Tridentinus ac Sabionensis, sed Gratus quidam loco Euthasii (a) *Augustani*, & Abundantius Comensis pro se & *Asimone Curiensi*. Notat etiam idem Rubeus, D. Ambrosium scribentem ad Veronensem Syagrium vocare *carissimos nostros Veronenses*, quo verborum tenore minime utitur ad Vigi-

(a) Euthasium hunc, cujus loco subscripsit Gratus Presbyter ab eo directus, non Augustæ Vindelicorum, sed Prætoriæ Augustæ Episcopum statuunt Harduinus, Holstenius, Velserus &c. Cum enim, inquiunt, vicini omnes Italiæ Episcopi, aut per se, aut per alium, ea in Synodo subscripti legantur, Augustanus secundæ Rhætiæ Episcopus, utpote longe ab Italia remotior, in eorum censum venire nullatenus potest. Nec officit, Augustanum se se subscripsisse per Gratum, velut nimia locorum distantia impeditum; non enim tanta exigitur locorum distantia, quanta interest Mediolanum inter & Augustam Vindelicorum, quo se per Gratum, nulla alias infirmitate impeditus, subscribere Euthasius potuerit, maxime si fuerit annis gravis. Miror vero Roschmannum pag. 63. *probabilius* credere cum Carolo a S. Paulo subscriptionem factam per Gratum nomine Augustani Rhætiæ secundæ Episcopi; & tamen *indubie* adseverare, Augustanam Vindelicorum Ecclesiam ad Mediolanensem spectasse: quasi vero idem sit *probabilius* ac *indubium*. Miror etiam Roschmannum non agnoscere tanquam Augustæ Prætoriæ Episcopum Euthasium, eo nomine quo nihil afferant monumenta ejusmodi Ecclesiæ, ut hunc sibi Episcopum vendicent; cum tamen ipse superaddendos velit plures numero Episcopos Catalogis Præsulom Brixinensium, de quibus Episcopis monumenta illius Ecclesiæ nihil habent. Itaque hac super re adsentiri malim Scriptori domestico omnium peritissimo Velsero, quam extero Roschmanno; Velsero, inquam, ita Lib. 8. Rer. Aug. Vind. pag. mihi 333. rem narranti: „ Eusebius Mediolanensis Episcopus, coacto Coepiscoporum conventu, assertionem fidei, quam Leo Romanus Pontifex ad Orientem transmiserat, approbavit, & rei testandæ epistolam emisit, cui cum primus ipse, tum cæteri, qui interfuere, ordine subscripsere; inter hos ergo, *Gratus* (sive Gradus, sive ut quidam legunt Gerardus) *Presbyter directus ab Episcopo meo Eustasio Ecclesiæ Augustanæ, vice ipsius in omnia suprascripta consensi & subscripsi*; sed cum Mediolanensis Episcopus conventui præsederit, Grati subscriptionem Ticinensis, Taurinatis, Eporediensis nomina antecedant, Laudensis, Comensis, Curiensis subsequantur; quis nisi locorum vehementer imperitus, non videat Augustam Prætoriam significari? Proclive erat multos præterea ex Conciliorum Libris Augustanos Episcopos enotare, sed qui, cum Augustæ prope innumeræ fuerint, ad nostram Urbem nihilo magis pertineant. Extat apud Molanum Grati etiam Confessoris nomen, nescio an hujus, nam Augustensem eum Episcopum cognominat.

Vigilium Tridentinum ſcribens. Atque hac Rubei doctrina in auras faceſſit quidquid ex adverſo cumulat Roſchmannus a pag. 78. atque a pag. 62. Quam vero Rubeo incertum videtur, quod indubium confidenter pronuntiat Roſchmannus, tam mihi quoque anceps & ambiguum, ut quam parciſſime loquar, adparet; quum ſciam, frequentem olim commeatum ab Aquileja aut per Compendium Veldidenam, aut per Opitergium & Feltriam Tridentum, uti videre eſt in Itinerario, innuere Tridentum ac Noricum Aquilejæ potius, quam Mediolano, paruiſſe, ac in Libello Aquilejenſium Schiſmaticorum an 591. ſupponatur, Eccleſias Beconenſem, Tiburienſem, & Auguſtanam, jam diu ante Schiſma fuiſſe Metropoli Aquilejenſi ſubjectas, neque proin deeſſe Scriptores graviſſimos ſentientes, Euthaſium Auguſtanum, cujus nomine ſe Gratus Presbyter Concilio Mediolanenſi an. 452. ſubſcripſit, fuiſſe non Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopum, ſed Auguſtæ Prætoriæ Salaſſiorum, quæ nunc Sabaudo ſubditur Duci; ſciam quoque D. Caſſianum juxta *Proprium*, ut vocant, *Brixinenſe* non a Mediolanenſi, ſed ab Aquilejenſi Præſule conſecratum; juxta Hundium Tom. I. Metr. Salisb. Epiſcopos Sabionenſes primordia ſua debere Aquilejenſibus Præſulibus; ac juxta Acta magis authentica D. Vigilium Tridentinum Antiſtitem nequaquam ab Ambroſio, aut ullo alio Mediolanenſi Epiſcopo, ſed a Valeriano Aquilejenſi Epiſcopo, ordinatum. Ac inter adminicula, quæ ad Metropolitanos ſupra Epiſcopos cæteros elevandos concurrerunt, noverim præcipuum illud fuiſſe, quod adnotant Noriſius Diſſ. Hiſt. de Syn. V. cap. X. pag. mihi 67. ac Van Eſpen Jur. Eccl. Univ. part. I. Tit. XIX. pag. mihi 150., nimirum ordinationem, ſeu conſecrationem Epiſcoporum, quæ ſenſim Epiſcopo Metropoli præfecto delata fuit. Noverim etiam in Synodo Aquilejenſi anno 381. principem tenuiſſe locum non S. Ambroſium, ſed Valerianum Aquilejenſem Præſulem, qui etiam eidem Concilio ſeſe primo loco ſubſcripſit. Namque Actorum initio ita confidentium Patrum nomina recitantur, ut primo recenſeatur loco *Valerianus*, tum *Ambroſius:* qui ordo in ſubſcriptionibus itidem ſervatur hoc pacto: *Valerianus Epiſcopus Aquilejenſis*, *Ambroſius Mediolanenſis*. Et quamvis Ambroſius, diſputatione contra Palladium inſtructa, condemnationis ſententiam in ipſum ferendam primus propoſuerit, qui tamen illam primus tulit Valerianus fuit, cujus judicium ſequuti ſunt cæteri. Quæ omnia præſidentiæ & metropoliticæ auctoritatis in ipſo Valeriano indicium præbent, ut certum arbitratur Chriſtianus Lupus Tom. VI. Edit.

Venet.

Venet. in Differt. de Romana Epifcoporum confecratione cap. VII. De quo Valeriano hæc accipe ex Baronio in adnot. ad Martyrolog. Rom. 27. Novembr. ,, Agit de eo frequenter S. ,, Hieronymus Epift. 42. 43. & in Chronico anno XI. Valen- ,, tiniani Imperatoris. Sedit poft Fortunatianum Arianum ,, (*ob hoc inauguratus dicitur S. Caffianus*) Ecclefiamque illam non ,, folum omni labe Ariana expurgatam reddidit, verum Eccle- ,, fiaftica difciplina adeo illuftravit, ut (quemadmodum S. Hie- ,, ronymus fcribit) habita fit quafi Chorus Sanctorum. Interfuit ,, primufque ponitur ordine in Concilio Aquilejenfi adverfus ,, Arianos coacto. Habuit fucceforem æque fanctum ac erudi- ,, tum Chromatium. Meminit ejufdem Valeriani Ruffinus Pres- ,, byter Aquil. L. 1. invect. ,, Hæc Baronius. Extat quoque infcriptio litterarum, quæ anno 371., aut in fequente, Damafo Præfide, in Synodo Romana manarunt, his concepta verbis: *Epifcopi Romæ in facrofancta Synodo congregati Damafus, Valerianus, & reliqui dilectis Fratribus & Epifcopis in Illyrico conftitutis.* Ubi Valeriani peculiaris mentio fingularem ejus metropoliticam prærogativam fatis indicare videtur. Anno etiam 382. Orientales Patres ex Synodo Conftantinopolitana fynodicas litteras ad Romanam Synodum direxere, in quibus Valerianus inter Epifcopos dignitate metropolitica exornatos connumeratur, videlicet inter Ambrofium *Mediolanenfem*, Brittonem *Trevirenfem*, Afcholium *Theffalonicenfem*, & Anemium *Syrmienfem*. Hinc non defunt eruditi Viri, qui Aquilejenfis Metropolis primordia ab hoc Valeriano derivant *(a)*, tametfi alii fint, qui ea altius deducant. Quippe fi fides Actis Synodi Mantuanæ, quam laudat Rofchmannus pag. 61. ac 66. Hermagoras Aquilejenfis Antiftes nuncupatur *Protos Italiæ Pontifex conftitutus*, ac ipfa Aquileja *prima Civitas totius Italiæ*, & Aquilejenfis Ecclefia *Matrix femper & Metropolis*. Bartholomæus quoque Tridentinus, cui Rofchmannus plurimum defert, Sabionenfem Epifcopatum Aquilejenfi

(a) Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. cap. IX. col. 83. ,, Præcipue (inquit) ,, illæ partes, quas Valerianus in Sy- ,, nodo Aquilejenfi egit implevitque, ,, fatis exhibent prima Aquilejenfia ,, Metropoleoa lineamenta ,,. Porro ficut ambigendum non eft, Vigilium Tridentinum, non Vicario (ut nonnemo pro libidine commentus eft) fed proprio nomine fuiffe a Valeriano Aquilejenfi confecratum; ita non videtur negandum, ab eodem Valeriano ad Aquilejenfe Concilium accerfitum Vigilii defefforem Abundantium: neque proin hunc dicendum cum Rofchmanno pag. 78. fe fe illi fubfcripfiffe *cum fuo Ambrofio*, fed potius *cum fuo Valeriano*.

jensi Metropolitæ ab ipso sui exordio unice subjectum videtur agnoscere (*a*).

XXXVI. Haud quidem ignoro, vetustissimum hoc jus Metropoliticum, Aquilejensis Ecclesiæ ab emunctioris naris Criticis mordicus negari. Ast dum ipsi adseverant cum Bacchinio de Eccl. Hier. ac Rubeo in Monum. Eccl. Aquil. Metropolitanorum jura multo serius in Occidente cœpisse, neque ante Nicænam primam Synodum uspiam in Italia obtinuisse (*b*); non possunt non commentitium habere, quod scribit Adversarius de jure Metropolitico prædecessorum Ambrosii, pag. 49. ajens: *Quid si Decessorum aliquis obeundo Episcopatus Italiæ aptum in Foro Cornelii Operarium* (Cassianum subaudi) *pro vinea Domini Rhætia sua, quam forte tum maxime ex reliquis Italiæ Regionibus hoc indigere sciverat, invenit &c.* nec non pag. 80. *A Mediolanensi Episcopo* (Cassianus) *& Sacerdos & Episcopus consecratus in has Alpes* (Rhæticas) *sit missus &c.*

XXXVII.

(*a*) Frater Bartholomæus ita habet apud Petrum de Natalibus in Catal. SS. l. 3. cap. 86. „ Ingenuinus secundus Episcopus Sabionensis fuit, ut „ scribit Paulus in Gestis Longobardorum, quem præcesserat S. Cassianus, „ qui Imolæ immolatus Martyrium „ consummavit. Sabiona enim fuit olim „ Episcopalis Civitas Metropolis Aquilejensis, nunc vero sedes translata est in „ Brixinam, & subest Salzburgensi &c. Huic Scriptori domestico, etiam atque etiam a Roschmanno laudato, nescio quei possit ipse fidem denegare. Cæterum, quod inquit Petrus de Natalibus: *Ingenuinum secundum Episcopum Sabionensem fuisse*, id a Paulo Diacono accepisse neutiquam potuit, sed a Bartholomæo Tridentino, cujus verba cum Pauli verbis ab ipso Petro de Natalibus perperam confunduntur.

(*b*) Benedictus XIV. P. M. de Synodo Diœcesana Lib. 2. cap. 2. num. 3. docet. „ Tribus prioribus sæculis nullum in Italia, sive etiam in Occidente fuisse Metropolitanum præter Romanum, opinantur Bacchinius par. „ 2. num. 10. & Rubeus in Monum. „ Eccl. Aquilej. c. 19. . . . . . Cum autem dignitatem Metropolitanam assecutæ sunt Aquilejensis & Ravennatensis Ecclesiæ, primæ in fine sæculi „ IV., alteri sæculo V. contigisse, iidem Bacchinius & Rubeus existimant. „ Aquilejensi assignatæ sunt Venetiæ & „ Istria; Ravennatensi Flaminia & „ Æmilia, cæteris subjectis permanentibus aut Mediolanensi, aut Romano Metropolitæ, quemadmodum probat Carolus a S. Paulo in Geographia sacra &c. „ De prærogativis trium Metropolitarum, Aquilejensium, Mediolanensium, ac Ravennatensium, omnino legendus Norisius in Dissertat. Hist. de Synodo quinta cap. X. ubi locupletissima eruditione de iisdem in utramque partem disserit, ac egregie antiquitatem Metropolitanæ Aquilejensis Ecclesiæ defendit, palamque facit de primatu quidem Aquilejensem ac Mediolanensem Metropolitas olim litigasse, sedem vero Apostolicam eosdem pares pronunciasse: & Mediolanensi quidem subdit Æmiliam, Liguriam, Insubriam, Alpes Cottias, Rhætiam primam, sed Aquilejensi Venetias, nempe Marchiam Tarvisinam usque ad Brixiensium confinia, insuper Forum-Julium, Istriam, Noricum Ripense, Noricum Mediterraneum, ac Rhætiam secundam.

XXXVII. Nec est quod quis Roschmanni caussam hic oret adductis Pontificiis Decretalibus a Gratiano relatis, notanter Clementis I. & Anacleti, a quibus mentio fit non solum Archiepiscoporum, Metropolitanorum, Primatum, & Patriarcharum, sed etiam Archiflaminum, quos a Sancto Petro & Clemente fuisse per Provincias constitutos adseritur. Siquidem nemo unus, qui rem criticam, vel primoribus labiis, delibarit, est, qui ignoret ejusmodi Decretalium commentum, nomenque Patriarcharum, & Primatum, Archiepiscoporum, & Archiflaminum ævo præfatorum Pontificum penitus ignotum; secutisque temporibus longe postea in Ecclesiam invectum. (a) Jus Metropoliticum tamen primo ad Ecclesiam Aquilejensem quam ad cæteras derivasse, censet Cl. Vir Florianus Morocutus Carnus Celsissimi ac Reverendissimi Passaviensis Episcopi Consiliarius Ecclesiasticus & Bibliothecarius apud Ughellum Tom. V. Ital. Sacr. de *Aquilejensibus Patriarchis* col. 20. inquiens. ,, Habet certe quod merito sibi glo-,, rietur Sancta Aquilejensis Ecclesia, cum non solum omnium ,, fere Ecclesiarum Galliæ Cisalpinæ mater extiterit, sed etiam ,, Laureacensis Archiepiscopatus fundamenta jecerit, unde lu-,, men fidei tot Regnis, totque barbaris Nationibus postmodum ,, illuxit ,, . Id roboratur auctoritate Cl. P. Hieronymi Pezii Mellicensis Tom. I. Script. Rer. Austriac. Dissert. IV. Proœm. §. I. qui quamvis ambiguum & controversum adfirmet primum Apostolatum eorum, qui prima apud Noricos Ripenses Christianæ Reipublicæ fundamenta jecerint, discussis tamen perdocte variis opinionibus, erroribusque rejectis, cum Vito Arembeckio ,, concludit. ,, Sanctos Syrum & Eventium, Laureaci, reliqui-,, que Ripensis Norici primos Apostolos, & cælestis doctrinæ ,, Magistros, e primorum quidem cœtu Apostolorum non fuis-,, se: fuisse tamen S. Hermagoræ Episcopi Aquilejensis, qui ,, Sanctum Marcum Evangelistam Magistrum habuerit, Disci-,, pulos: idque satis esse, ut verum sit, Ecclesiam Laureacen-,, sem ab Apostolis & Doctoribus Romanæ sedis fundatam, ,, & pri-

(b) Legatur absolutissimum Opus Institutionum Juris Canonici Illustriss. ac Reverendiss. Joann. Bapt. Bartholi, quem singularis Sacrorum Canonum peritia, summaque sapientia, ex Cathedra Sacrorum Canonum Universitatis Patavinæ ad Episcopalem Feltrensem Cathedram evexere, Cap. XIX. ac XX., ubi perquam erudite agitur de Epistolarum Decretalium suppositione, earum etiam, in quibus mentio fit Primatum, Metropolitanorum &c., quæ plane longe absunt a primorum temporum disciplina.

„ & primis veræ fidei fundamentis imbutam fuisse „ . Hinc Cl. Meichelbeckius Tom. I. Hist. Frising. Diss. secun. de Relig. Christ. in Bojar. super &c. Frisingæ quot annis jam sæculo Christi decimo festum SS. Ermachoræ (Hermagoræ) & Fortunati una cum festo S. Maximiliani celebrari solitum ex vetustissima Frisingensium Liturgia adnotavit. Adstipulatur quoque Cl. Marcus Hansizius Tom. I. Germaniæ Sacræ cap. XII. ita differens. „ Pro Aquilejensibus est primo possessio posteriorum temporum, „ ex quibus argumentum promovent ad anteriora. Deinde jus „ originarium fundatum in eo, quod Ecclesiæ Norici origi- „ nem accepere ab Aquilejensi, quod vel ipse locorum situs sua- „ dere videtur, contigui enim sunt Norici Aquilejensibus „ . Hunc quoque Aquilejæ situm, utpote in confinio utriusque Ecclesiæ, & Imperii, cum Occidentalis, tum Orientalis positum, in caussa fuisse, cur sæpius deleta Aquileja denuo sublimioribus aucta prærogativis gloriosius revixerit extuleritque caput, notat Thomasinus Vet. & Nov. Eccl. Discipl. Part. I. Lib. I. cap. XXIII. num. VI. pag. mihi 71. inquiens. „ Non est porro quod „ stupeat quis, Aquilejam, quæ altera fuerat Roma, dum res „ Romana floreret; quæ inter Ecclesias Occidentales melioribus „ & antiquioribus sæculis florentissima & ipsa fuerat; quæ in „ Gotthorum Imperio apicem dignitatis obtinuit, & Patriarcha- „ li jam tum nomine fortassis se se jactavit tamquam Regni „ Gotthorum primaria civitas..... non est, inquam, quod quis- „ quam stupeat, eam cineribus & ruinis suis toties obrutam, „ quod non siluit Historia, emersisse rursus in antiquas præro- „ gativas; cum media ætate, locata in confinio Occidentalis & „ Orientalis Imperii, Romanæ & Constantinopolitanæ Eccle- „ siæ, tam sapienter consilia sua temperarit, ut certatim Pon- „ tifices, Patriarchæ Constantinopolitani, & Imperatores, ad „ ejus amplificationem conspiraverint, ut ejus rationibus & uti- „ litatibus addicti, suis quoque vicissim illam adjungerent „ . Ergo Norici Ecclesias velut Aquilejæ proximiores, non a Mediolanensi, sed ab Aquilejensi Ecclesia, uti postea, ita antea dependisse, non videtur negandum. Idipsum sentiunt de Illyrici saltem quibusdam Ecclesiis plerique alii, in rem hanc laudantes Basilii Epistolam ad Valerianum Aquilejensem datam, qua Basilius Valerianum vocat *Episcopum Illyrici*, aut *Illyricorum*. Scio quidem, *Sirmium*, Civitatem caputque Illyrici, *ad ordinandum Episcopum Anemium*, adversantibus licet Arianis, eisque favente Justina Imperatrice, *perrexisse* Ambrosium, teste Pauli-

Paulino in ejus Vita ; id quod factum Baronius existimat an. 380., sed ab eo peractam ejuscemodi ordinationem , non jure Metropolitico , sed solicitudine Caritatis , pridem adnotarunt Viri eruditi (*a*). Atque hinc conjicio , Ambrosium in celebri Epistola an. 396. data ad *Vercellensem Ecclesiam* per *finitimas Italiæ partes* , ad quas solicitudo caritatis ejus extendebat se se , intellexisse potius *Regiones Illyrici* , quam *Rhætias primam & secundam* : maxime cum hæ sub *Venetiis* , quarum ante meminerat , satis comprehensæ intelligantur , utpote cum in sacris Venetiis ipsis subessent.

XXXVIII. Animadversione quoque dignum est, quod paulo supra retulimus , nempe in Mediolanensi Synodo ab Eusebio ejus Urbis Præsule coacta ann. 452. nullum reperiri Tridentinum aut Sabionensem vel totius Venetiæ Episcopum, qui illi se se subsignarit; cum tamen eidem omnes fere illius Ecclesiæ suffraganeos interfuisse constet : nec non S. Leonem Magnum Epist. 85. ad Septimium Altinatem Episcopum scripta direxisse illam non ad Metropolitanum Mediolanensem , sed *ad Metropolitanum Episcopum Provinciæ Venetiæ* , nempe Aquilejensem . Tum etiam ejusdem S. Leonis Epistolam 86. ad Nicetam Aquilejensem Episcopum , in quibusdam Codicibus eum præferre titulum *ad Metropolitanum Venetiæ* : qui quidem titulus non veluti novus , sed antiquus ab eodem Leone adhibitus fuisse videtur ; neque dubitari ullatenus posse , quin Tridentum (quod ipsum de Sabiona ob loci proximitatem dici mea quidem sententia potest) sub Provincia Venetiæ comprehenderetur , uti perspicue patescit ex Ptolemæo L. 3. c. 1. Tametsi enim ad Rhætiam quoque spectet , quin imo forte probabilius , quam Veldidena Rhætiæ caput constitui queat ; id nequaquam officit , quominus ad Venetiæ quoque Provinciam pertineat . Quippe ut habet Strabo Geograph. L. 7. pag. 202. Edit. Basil. an. MDXXIII. *Rhæti & Norici usque ad Alpium summa tenent, & Italiam versus inclinant, hinc Insubribus & Carnis propin-*

(*a*) Probat Rubeus in Monum. Aquil. cap. XX. col. 383. ex Novella XI. Justin. jam *ab antiquis temporibus* Syrmii fuisse *Illyrici fastigium* , *tam in Civilibus* , *quam in Episcopalibus caussis* : unde infert in Syrmiensis Anemii ordinatione non exercuisse Ambrosium jus Metropoliticum , cum par in parem , ac Metropolita in Metropolitam , jus nullum habeat . Legatur in rem hanc quoque Maffejus Veron. Illustr. L. 10. col. 285. ubi ex Pagio ac Noiisio censet , Anemium Syrmiensem fuisse Episcopum ab Ambrosio initiatum , non jure Metropolitico , sed vel quia ab Episcopis illius Provinciæ ob famam sanctitatis , doctrinæ , zelique pro Ariana exterminanda hæresi , eo fuerat accersitus , vel quia ex peculiari summi Pontificis privilegio se se illuc contulerat .

pinqui, *& Aquilejæ tractui*: ac L. 4. pag. 143. *Cæterum Rhæti ad Italiam usque pertinent*. Quo uno conciliari posse videntur antiqui iidem Geographi Strabo & Ptolemæus, quorum primus (ut etiam animadvertit Annal. Bojor. L. 2. c. 5. pag. mihi 88. Aventinus) Tridentum Rhætis, secundus Venetiæ adtribuit; ac itidem præclusum manet, quod Roschmannus in sua Veldidena cap. 30. pag. 142. adversus opinantes Tridentum Rhætiæ caput objectat. Certe Rhætiam supra Veronam possidere *Ananicos* & *Tridentinos*, adseverat idem Aventinus ibidem L. 2. cap. 3. pag. 65.

XXXIX. Hercle Tridentum haud ita sub Venetiæ Provincia concludi, quin ad Rhætiam quoque pertineat, tradit in Geographia veteri exercitatissimus ac nemini secundus Cellarius, velut rem extra omnis dubitationis aleam constitutam. Unde Geographiæ antiquæ L. II. cap. VII. Oppida Rhætorum perlustrans a Tridento auspicatur, ajens num. XXVI. „ Italiæ proximum, „ quod indubie Rhætorum sit, est Tridentum, a quo populus, „ *Tridentini* apud Strabonem & Plinium; hunc vero ita ut una „ Oppidi rationem habeat. *Feltrini*, inquit lib. III. cap. XIX. „ & *Tridentini*, & *Berunenses Rhætica Oppida* „. Initium ergo caputque Rhætiæ *(a)*, eundo septentrionem versus, est supra Veronam, ubi occipiunt Alpes & Valles per Tridentinum tractum primum protensæ, ac versus Brigantinum usque lacum postremo desinentes „. Rhæti (ait Cluverius Introduct. Geogr. in Germ. „ Lib. III. cap. IV. pag. mihi 158.) Alpes tantum incoluere, & „ earum valles, a septentrione ad lacum usque Brigantinum: Tum laudatus Cellarius „ Placet Strabonis sententia, qui „ supra Veronam incipere fines Rhætorum dixit, ipsam vero „ inde Veronam excipit: *Rhæti*, inquit, *usque ad Italiam pertinent*, *quæ supra Veronam & Comum est* „. Et quamvis juxta eundem Cellarium ibidem num. XXXIV. Veldidena Curiæ sit præferenda contra Velserum, utpote in Itinerario Antonini magis celebris; non tamen Tridento, quod ipsum etiam sæpius in eodem

(a) Initium Rhætiæ juxta antiquiorem Geographiam a meridie ad septentrionem sicut est supra Veronam versus Tridentum, ita a septentrione ad meridiem est infra Vindelliciam, hanc a Rhætia disterminante Lyco fluvio & Brigantino lacu. Quare sicut Alpium septentrionalium initium haud longe a Lyco fluvio & Brigantino lacu caput est Rhætiæ superioris, ita initium Alpium meridionalium haud procul a Benacensi lacu, ac fluvio Athesi per Tridentinum tractum decurrente, caput videtur Rhætiæ inferioris. Quod si lubeat Plinii Geographiam amplecti L. III. Cap. XX. a septentrione *Rhætorum* caput sunt *Vennones* ad ortum Athesis amnis.

eodem Itinerario nominatur, eratque in Regione Rhætica *sacris Tusculanis* faciendis præcipue delectum, ut ex Grutero docet Maffejus Veron. Illustr. L. 6. col. 158. Sane si *Rhætiæ sunt muximina & claustra Provinciæ*, ut ait Cassiodorius L. 7. Epist. 4. apud Roschmannum pag. 55., id cum primis Tridento competit, in quo vetustissimum illud Castrum *caussam præstans munimінis & decoris*, *in Mundo singulare*, *tenens claustra Provinciæ* olim erat, *Verruca* dictum, de quo idem Cassiodorius L. 3. Variar. Epist. 48. „ Ast in mediis campis tumulus saxeus in rotunditate con„ surgens . . . . . . Hunc Athesis, inter fluvios honorus, amœ„ ni gurgitis puritate præterfluit, *caussam præstans muniminis & „ decoris*. Castrum pene *in mundo singlare*, *tenens claustra Pro„ vinciæ:* quod ideo probatur magis esse præcipuum, quia feris „ Gentibus constat objectum &c. „ Quanti fecerit Theodoricus Gothorum Rex munimen hoc, claustrumque Provinciæ, patet ex Edicto, quo Feltrinis mandavit, ut operam suam ad ejusdem constructionem, sive potius reparationem, restaurationemque conferrent, uti itidem liquet ex eodem Cassiodorio L. 5. Epist. 9. (*a*) In hoc singulari præcipuoque Castro videtur Sedem habuisse *Servatus Dux Rhætiarum*, ad quem litteras dedit pro Breonibus ad bella martia semper intentis, legis impatientibus, morumque mensuræ nescìis, in officio continendis, idem Theodoricus Gothorum Rex, quemadmodum legere est apud ipsum Cassiod. L. I. Var. Epist. II. Multiplices Turres, quæ ad hanc usque diem Tridenti visuntur, satis ostentant, quid olim Tridentum potuerit adversus Barbarorum incursus. Adde tendentibus a Verona ad Pontem Drusi, Pontes Œni, Vindeliciam, Juvaviam, Laureacum, Noricos, Marcomannos, Sarmatas, Pannones, post Palatium

(*a*) Cl. Scipio Maffejus L. 9. Veron. Illustr. col. mihi 229. in rem nostram hæc habet: *La Veruca Trentina, nella quale ordinò Teodorico a' Goti, e a' Romani, cioè agl' Italiani, che abitavano in que' contorni, di trasferire il lor domicilio, e di fabbricare in essa, vien descritta quasi naturale, inacessibile, e rotonda torre di sasso, che sorgea presso l'Adige, dilatandosi nella cima, e Castello però formando quasi singolar nel Mondo, ed attiss.mo per far argine quasi insuperabile ai barbari da quella parte. Tal descrizione la fa sicuramente conoscere per quel macigno isolato, che gira un miglio, e si chiama in oggi* Dostrento, *tra 'l quale e la Città solamente il fiume, e poco tratto di terreno intermedia* &c. Quibus verbis corrigendus Cluverius Ital. antiq. L. 1. c. 16. putans Verrucam Castrum esse vulgo adpellitatum *Castel della Pietra*, ac alii, qui apud illum existimant esse Castrum in Athesis ripa situm haud procul a Lacu Benaco, vocitatum *la Chiusa*, aliique qui illud censent esse Castrum *Roboretò* &c.

tium in Itinerario, ac Volanum, sive Volenes, in Tabula, primum occurrere Tridentum Phlegonti Tralliano, Hadriani Liberto, Itinerario, Tabulæ, Romanisque ac Græcis Auctoribus longe notissimum ac celeberrimum, ac Romana ex fide Lapidis Colonia, velut medium inter famigeratissimos Populos, *Stonos* (*a*) ac *Tyblinum* ex sinistro latere, ac *Euganeos* & *Ausugum* ex dextro, Urbs sane princeps, non *Italiæ*, uti vult Roschmannus pag. 52., sed *Rhætiæ*, ubi habet Maffejus in exordio L. I. Veron. Illustr. ac Plinius ipse L. 3. c. 19. ac 20., ubi Tridenti originem Rhætis tribuit, atque a *Retbo Duce* Tridentum conditum refert: cui Plinio, tanquam aut Rhæto, aut Rhætis proximo (Veronensis enim fuit rerum Rhæticarum scientissimus) major quam cæteris Scriptoribus exteris, adhibenda fides (*b*). Hancque viam per Triden-

(*a*) De hoc ita sentit Maffejus Veron. Illust. L. 5. col. 101: *Plinio tratta dell' Alpi, e de' monti annessi: nominati gli Euganei soggiugne:* Capo di essi è Stonos. *Nell' alto della Val Sabia si ha in oggi Vestone, Terra grande. Il sito, il nome, e l' altre circostanze comprovano l' opinione di due Scrittori Bresciani, e e sia cotesta l'antico* Stonos. *Nomina gli* Stoni *Strabone, come picciola gente presso i Trentini.* Stonos *è voce Greca poetica, che secondo noi è quanto dire antica, e vale* angustia, luogo stretto; *onde ben s' adatta a luogo di montagna, e mostra l'origine Euganea* &c. Per *Stonos* seu *Stoeneos* tamen malim ego, quam *Vestone* in Valle Sabia, intelligere *Stenico* in Valle Judicariarum; tum quia magis adfinis & cognata est vox *Stonos* sive *Stoeneos* cum *Stenico*, quam cum *Vestone*; tum quia magis prope Tridentum, & Euganeos; tum quia Castrum *Stenico* magis in alpibus & arcto positum quam *Vestone*; tum quia vel hodie ornatum est Romano Lapide, quem vidi, ac in locis etiam Stenicum circumjacentibus plures itidem Romanos Lapides videre est. Populos *Stonos* sive *Stenicos* vocat *Stoeneos* Fragmentum Fastorum, teste Grutero, anno 1561. effossum. *Stonos* apud Tridentinos collocat Strabo. *Stinos* aliquot exemplaria Livii Epitomatoris exhibere Velserus & Sigonius adfirmant. Locum horumce populorum principem in *Stenico* ipse ponit Roschmannus pag. 40. ob pronam adfinemque mutationem Manuscriptorum Velseri & Sigonii. Neque Geographorum nostri ævi facile principes Cluverius & Cellarius procul ab hujusmodi vicinia *Stonos* populos removerunt. Plinius etiam Euganeis in Tridentinum districtum protensis *Caput eorum Stonos* adsignat &c. In Editione Plinii, quam exornavit Joannes Camers Minoritanus SS. Theologiæ Doctor, ac Typis Venetis publici juris fecit ann. MDXXV. Lib. III. cap. XX. inscripto *De Alpibus & Gentibus alpinis*, Caput Euganeorum dicitur *Steonos*, & in margine duntaxat nuncupatur *Stonos*.

(*b*) Plinium certe hac super re audiendum esse præ Ptolemæo, qui Tridentum inter Cenomanorum Urbes recenset, docet idem Maffejus L. 1. Veron. Illustr. col. 22. adversus eos, qui Cenomanorum Urbibus Veronam etiam adnumerant. Nam inquit Vir summus: *Fassiam dunque a quell' autorità, che in favor di quest' errore con alquanto più di verità sembra addursi, cioè di Tolomeo, il quale nella sua Geografia e Cremona e Verona mette tra Cenomani. Ma qual peso può aver mai qui Tolomeo, di cui avvertì l' Olstenio, uso esser*

Tridentum ad præfatos Populos tanti prisci Imperatores Romani fecerunt, ut eam restaurandam curaverint, sicut Lapis Tridentinus testatur, ac Claudiam Augustam adpellavit Claudius Imperator, uti docet Lapis Bulsanensis. Magistratuum etiam Rhæticorum, quos Roma mittebat, meminit Tridentinus Lapis, in quo laudatur *Marcus Apulejus Augusti Legatus*. Quid plura? cum Dio Lib. 54. disertissime statuat in Tridentinis Alpibus, Italiæ finitimis, Rhætorum Sedes, easque ponat velut bellorum theatrum Rhætos inter victos Romanosque victores haud semel initorum? „ Rhæti (inquit Dio Lib. 54.) inter Noricum & „ Galliam ad Alpes Italiæ finitimas, quas Tridentinas nomi- „ nant, sedes suas habent. Hi vicinam Galliam frequenter po- „ pulati, ex Italiæ finibus prædas egerunt, Romanosque & eo- „ rum socios, iter per ipsorum terras facientes, infestaverunt. „ Id quidem jam consuetudine receptum erat, ut in eos, qui nul- „ lo essent fœdere juncti, ita statuerent: sed præter hos omnes „ masculos, quos comprehendissent, etiam in utero adhuc ma- „ trum (id enim quibusdam divinationibus investigabant) mo- „ rantes necabant. Ea propter Augustus principio Drusum (a) „ con-

esser solenne nella descrizion del Mondo d'imbrogliar ogni cosa, e del qual ben si sa, come di queste parti, da lui tanto rimote, confusissima notizia ebbe? Anche Bergamo e Mantova, e per fin Trento, posa ne' Cenomani quell' Autore; ma chi potrà mai addurlo con riputazione, ove de' Cenomani si tratti, dapoichè Cluverio e Cellario, Uomini da non rammentare in questa materia senza somma lode, e de' quali può dirsi, che nell' antica Geografia sagrificasse- ro la lor vita, hanno espressamente e concordemente insegnato, ch' ei diede a' Cenomani ciò ch' è degli Euganei, de' Reti, de' Levi, e de' Boj, e ch' ove tratta di queste parti confonde tutto? Scusabile in così vasto assunto fu forse uno Scrittore Egiziano di molti sbaglj; ma scusabile non ci parrebbe, chi volesse anteporre la sua autorità a quella di Plinio, ove dell' Istoria e della situazion di Verona (adde & Tridentum Urbem Veronæ proximam) *si tratti, siccome bizzarro converrebbe dire, chi anteponesse quella di Plinio alla sua, ove d'Alessandria o di Pelusio fosse questione* &c. Porro si major, quam cæteris, hac super re Plinio præstanda fides, ipseque censendus Rhæticarum rerum probe gnarus, quum is, præcipua recensens *Rhætica Oppida*, nominandos cum primis censeat *Feltrinos*, *Tridentinos*, & *Berunenses*, alte autem sileat de *Veldidenis*, aut *Veldidenæ* accolis, ab ipsa denominatis; non video quei *Veldidena* princeps Rhætorum Sedes sit collocanda. Nunquid Plinio ipsi in rebus Rhæticis peritissimo Veldidena non innotuisset, aut eam cum primis non nominasset, si illam totius Rhætiæ caput, inter cætera Rhætorum oppida, agnovisset? De gentibus quidem Alpinis in Trophæo Alpium disserens nominat *Hisarcos* ab Hisarco fluvio, *Breunos* a monte Breonero, at nullos incolas aut accolas a Veldidena vocat, aut Veldidenam ipsam ullibi laudat.

(a) Supra Tridentum est *Pons-Drusi*, a Ptolemæo *Drusomagus*, in Codice Theodosiano *Bauzare* vocatus, locus haud ignotus, neque ignobilis, hodiernum Bulsanum est, aut Bulsano proximus.

„ contra eos cum exercitu misit, isque Rhætos apud Alpes Tridentinas sibi obviam factos, prælio congressus, haud magno „ certamine fudit, ejusque victoriæ ergo Prætorios honores adeptus est. Deinde cum ab Italia rejecti Rhæti nihilominus „ Galliam urgerent, Tiberium quoque contra eos misit. Proinde Drusus ac Tiberius simul, multis locis in Rhætiam irrumpentes, Legatorum opera, ac ipse etiam Tiberius per lacum „ (*a*) navigiis subvectus; exterruerunt ea re barbaros: dissipatos „ haud difficulter exiguis præliis dispersas eorum copias deleverunt; reliquosque inferiores exinde, ac animis collapsos in „ suam potestatem redegerunt. (*b*) „ Ut proin mirum nequaquam

(*a*) Qualis hic lacus fuerit, an Benacensis, an Larius sive Comensis, an alius, haud facile est rem acu tangere. Sed præstat in re perdifficili audire antiquitatis diligentissimum investigatorem Maffejum L. 5. Veron. Illustr. col. 103. *Cominciarono a saccheggiare crudelmente l' Italia, e la Gallia i Reti; onde Augusto mandò contra di loro Neron Claudio Druso figliuolo di Livia sua Moglie, il quale presso i monti di Trento gli sconfisse: ma non acchetandosi costoro ancora, mandò Tiberio, che fu poi Imperadore, ad unirsi col fratello Druso. Furon però di nuovo in varj luoghi battuti i Reti e disfatti, al che molto contribuì, come lo Storico esprime, l' offersi Tiberio messo con Navi* sul lago, *che senz' altro è da credere sarà stato il nostro. Orazio, nel toccare in un Oda queste Vittorie, dice, che restarono in questa guerra superate Rocche imposte all' Alpi, e vinti i Breuni* &c.

(*b*) Ad retundendam Vindelicorum, Noricorum, Rhætorumque crudelitatem, Italis oppido infestam, ob crebras in Italiam incursationes ab ipsis factitari sollitas, ut igne, ferro, flamma devastarent omnia, Urbesque diriperent, anno ante natum Christum, viventium Regem, Mundique Dominum, quinto decimo, Claudius Tiberius & Drusus Nerones, fratres germani, privigni Augusti, a Vitrico cum Legationibus & copiis missi sunt. Et ut Paterculi verbis utar L. 2. „ Neronem „ Cæsar haud mediocris belli molem „ experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem „ intra Cæsaris penates enixa erat Livia. Quippe uterque divisis partibus „ Rhætos Vindelicosque aggressi, multis Urbium & Castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque „ acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero „ frequentes, feritate truces, majore „ cum periculo quam damno Romani „ exercitus, plurimo cum earum sanguine, æstate una, omnes hujus cardinis populos perdomuerunt. &c. „ Ita Augustus de Rhætis ac Vindelicis Tib. Claudio Nerone, & Nerone Claudio Druso Ducibus triumphavit, quem postea loca diruta restaurasse, ac viarum adparatum adjecisse ex Lapide Tridentino atque Strabone monet Roschmannus pag. 53. ubi etiam juxta Pedonem Albinovanum ac Lapidem Bulsanensem docet, per hanc viam Romam delatum magnifice Drusi cadaver, eandemque viam iterum deinceps reparatam a Claudio Imperatore, ab eoque *Claudiam Augustam* vocitatam. De Druso cecinit Claudianus ad Honorium Imperatorem:

Nobilitant Veteres Germanica fœdera Drusos,
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta.

Nec non Ovidius cum ad Liviam Drusillam

quam sit, si Cluverius de Rhætis loquens, eorum finibus, ac principe eorundem sede scripserit in Introduct. Geograph. in Ital. Lib. III. cap. XXIV. pag. mihi 216: „ Supra Euganeos fuere „ Rhæti, Duce Rhæto ex Tuscis, cum hi pellerentur Circum- „ padana Regione a Gallis. Fines habuere a Rheni fontibus ad „ fontes usque Dravi amnis in Danubium defluentis. Caput „ eorum Tridentum, nunc vulgo *Trento*. Reliqua oppida cla- „ riora *Curia*, vulgo nunc *Chúr*, Italis *Coira*, *Feltria*, *Belu-* „ *num*, nunc *Feltre*, *Belluno &c.* „ Mirumque itidem haud sit, si Tridentinorum Territorium in montana Rhætiæ Regione primo nominetur loco in Diplomate Adalberti Episcopi Frisingensis an. 1182. apud Meichelpeckium ita concepto: *In montanis in Episcopatu scilicet Tridentino Brixinensi & Curiensi*; atque in Romana inscriptione inter Bauzanum & Tridentum cum primis laudetur Tridentum apud Velserum pag. mihi 431. quæ ita sonat.

C. VALERIO C. F.
PAP. MARIANO.
HONORES OMNES
ADEPTO. TRIDENT.
FLAMINI. ROM. ET AVG.
PRAEF. QVINQ. AVGVR.
ADLECTO ANNON. LEG. III.
ITALIC. SODALI SACROR.
TVSCVLANOR. IVDICI
SELECTO. DECVR. TRID.
DECVRIONI BRIXIAE.
CVRATORI REIP. MANT.
EQVO PVBL. PRAEF. FABR.
PATRONO COLON.
PVBLICE

XL.

---

filiam uxorem Augusti:

Funera ducuntur Romana per Oppida Drusi,
Heu facinus! per quæ victor iturus erat.
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis &c.

Tum in Fastis:

Et mortem & nomen Druso Germania fecit.

Cecinit quoque Horatius Flaccus Poeta Lyricus, qui quartum Librum Carminum longo intervallo posteris jussu Augusti ad celebrandum Drusi bellum conscripsit:

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem &c.

Ita Lib. 4. Ode 4. Tum ad Augustum:

. . . . mox grave prælium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis &c.

XL. Sed ut unde digressa paululum, revertatur oratio, quæ sunt reliqua persequamur. Illud igitur vehementer objectat cap. XIII. a pag. 57. sibi videri captu difficillimum per tot sæcula in regione tam culta, uti est Sabionensis, Italiæ tam propinqua, ac transeuntium frequentationi percommoda, nullos Sabionensibus præfuisse Antistites, cum tamen Tridentina Ecclesia, Veronensis, Brixiensis, Vicentina, Aquilejensis, Mediolanensis, ac in Germania ipsa Laureacensis plures enumerent. Recoquit hoc ipsum conjecturale argumentum rursus cap. XIV. ubi a pag. 69. addit quoque exempla Mediolanensis, Bergomensis, pluriumque Pannoniæ Ecclesiarum, ac post recitata in utroque loco Hansizii verba tandem concludit „. Si igitur vicinæ nobis Ecclesiæ, & „ omnes quidem, si remotiores etiam jam secundo tertioque sæ„ culo suos coluere Antistites, quorum tamen fere plerumque „ periere nomina, solaque illa remansere, quæ in Actis, extra„ neis, aut, ob gesta singularia E. G. relatam Martyrii pal„ mam servata sunt: quis æquus rerum æstimator Regioni tam „ cultæ, genti tam populosæ, Rhætiæ nimirum, sub Italia com„ prehensæ, Romæ tam vicinæ, tot commodis Episcoporum lo„ cis oppidisque plenæ, hos prudenter & per quinque sæcula „ abnegare poterit? „

XLI. Si secundo sæculo vel remotiores Ecclesiæ suos recensent Præsules, ergone vel ante Cassianum, quem Martyrem obiisset putat Roschmannus pag. 90. sub persecutione Valeriani a Ruinartio in Præf. ad Acta Martyrum consignata an. 257. adeoque tertio sæculo jam adulto, Rhætiæ Ecclesia Sabionensis, fuis gavisa est Episcopis? Quo tandem spectant illa Roschmanni verba, in quæ prorupit inquiens pag. 56. „ An non Rhæticum Exercitum, „ dum montem nostrum Brennerum pedes transivit Trajanus, „ secum in Dacos duxit? An non Marcus Aurelius Legionem „ III. adversus Marcomannos ducere potuit? Sed nimirum inter „ hos milites, ac tam vicinos Italiæ, Rhætici omnes Ethnici „ fuerunt? An rursus tot millia Incolarum, tot Coloniarum, „ Municipiorumque, per tot sæcula gentilibus semper erroribus „ inhæsere, ut non indiguerint Sacerdotibus, aut Pastoribus, „ verbo Episcopis? Hoc capiat qui potest „! Quo, inquam, hæc spectant, nisi ut Sabionenses Antistites, nedum sub Valeriano, nedum sub Trajano, verum & sub Marco Aurelio sæculo ipso secundo admittantur? Credamne Sabionam obscuri nominis Castrum obtinuisse primis Ecclesiæ sæculis Episcoporum successionem, qua semper caruit princeps Urbs Veldidena?

na? Hoc capiat qui poteſt! Nunquid inſuper Traditione conſtat præiviſſe Caſſiano alios Antiſtites, qui ſæculo ipſo ſecundo floruerint, ut merito Adverſarius exclamare poſſet pag. 71. cum Anſaldo in limatiſſima Diſſertatione ſua de Cauſſis Inopiæ Veterum Monumentorum: „ Ubi quæſo veteres cæterarum ſedium „ Annales? ubi cæterorum geſta Epiſcoporum? Videmus ſolis „ inniti Eccleſiarum traditionibus, quæ primævis illis de Epi„ ſcopis referuntur, Romanam enim principem ſi excipias Ec„ cleſiam, cæteraſque præcipuas, omnino haud multæ a reli„ quis ſunt, quæ præter Traditionem certum quid habeant de „ Vitis ac nominibus Antiſtitum, quibus paruerunt „. Item ſi ex proximis Eccleſiis rem conjectare liceat, an non Eccleſia Tridentina Italiæ proximior, longeque Sabionenſi celebrior, S. Vigilium, qui deſinente quarto ſæculo claruit, juxta antiquiora Acta jam laudata, tertium duntaxat numero recenſet Epiſcopum, non alios prædeceſſores agnoſcentem, quam quos memorat ipſe Roſchmannus pag. 34. nempe Jovinum, & Abundantium, neque proin videtur antiquitatis prærogativa ſæculi ejuſdem quarti initium excedere? An non Eccleſiæ Paſſavienſis primus Epiſcopus S. Valentinus Rhætiarum Apoſtolus, cujus magnum nomen a ſæculo duntaxat quinto inclaruit Tyroli noſtræ juxta Roſchmannum pag. 107. 22.? An non Eccleſiæ Friſingenſis primus Epiſcopus in Martyr. Rom. 8. Sept. ſcribitur S. Corbinianus, a Gregorio Secundo ordinatus, & ad prædicandum Evangelium in Galliam ac Germaniam miſſus, quem primum quoque diſerte idem confitetur Roſchmannus pag. 22.? An non ex Bollando, referente ipſo Roſchmanno pag. 148., Brema Urbs clara veteris Saxoniæ Ingenuini tempore necdum Chriſti fidem receperat? An non Eccleſiæ Juvavienſis S. Rupertus juxta Anonymum Mabillonianum prima fundamenta jecit, ævo certe a primis ſæculis longe remoto, ut qui juxta Roſchmannum pag. 102. in memoriam S. Maximiliani Laureacenſis Epiſcopi ſacras ædes conſecravit ſæculo primum octavo ineunte, aut ſeptimo exeunte (*a*)? De Eccleſia Veronenſi non eſt, ut quicquam dicam, niſi quod eruditio-

(*a*) Hinc habes, Lector, grandem immanemque anachroniſmum Faſtorum Brixinenſium V. Febr., dum hanc rationem annorum ineunt rectæ ab Ingenuino Sabionenſis Eccleſiæ „. Ingenuinus, primus poſt S. Caſſianum, temporibus Gregorii Magni, & Ruperti primi Salisburgenſi Epiſcopi, circa annum Domini quingenteſimum nonageſimum, Sabionenſem rexit Eccleſiam. „

ditione ac doctrina haud minus, quam sanguinis claritate undequaque Illustrissimus Marchio Scipio Maffejus enarrat in sua Verona Illustrata, primum scilicet illustre factum, Actis Consularibus celebratum de S. Proculo Veronensi Episcopo legi ad an. 305. Et quamvis haud ægre Roschmanno pag. 69. concesserim fuisse unum aut alterum (*a*) in Veronensi Ecclesia, qui Proculum antecessit, subdiderim tamen, quod idem Scipio Maffejus scripsit Nicolao Coleto, insertumque legitur Tom. V. Ital. Sacr. Ughelli Edit. Colet. de Veronensibus Episcopis col. 676. „ Po-
„ pulares fabellæ (inquit) nec non Historiolæ decimo sexto ut
„ plurimum sæculo concinnatæ, cujuslibet fere Italiæ Civitatis
„ Pastorem primum ab Apostolorum ævo, ipsisque Christianæ
„ fidei incunabulis arcessunt, seriemque Episcoporum mirificam,
„ nec interruptam perbelle ædificant: quam plurimas tamen
„ fuisse ex his Civitatibus, in quibus ante tertium sæculum Epi-
„ scopi nomen nec sit auditum, rerum ordinem & tempora
„ perpendenti constabit; neque enim Christiana religio in om-
„ nibus illico universæ Italiæ municipiis diffundi potuit, ac ra-
„ dices agere. In ista certe, quæ cæteras hujus tractus Urbes
„ frequentia, opibus, splendore, dum res Romana stetit, an-
„ tecellebat omnes, quarto jam ineunte sæculo S. Proculus *pro-*
„ *pter metum Paganorum cum paucis Christianis non longe a muro*
„ *Civitatis latitabat*, ut SS. Firmi & Rustici Acta docent, &
„ eodem demum sæculo inclinante S. Zenon *Veronam prædican-*
„ *do reduxit ab baptismum*, ut Anonymus memorat, hoc est ma-
„ jorem populi partem ad bonam frugem traduxit „. Addit e vestigio „. Quod adtinet ad nondum agnitos eruendos Præsules,
„ mirum quidem videri possit post tot indagines quemquam ad-
„ huc latere; multo enim magis peccatum est in intrudendis
„ pluribus, quam in prætermittendis „. Præmonuerat quoque paulo

(*a*) Tres ante Proculum, qui ineunte quarto sæculo claruit Anonymus Pipinianus in Rhythmo memorat, nempe Euprepum, Dimidrianum, Simplicium, unde colligit Maffejus Veron. Illustr. L. 8. col. 219. *Sapendosi che il sesto Vescovo sedeva nella metà, e il quarto nel principio del quarto secolo, ben se ne viene a raccogliere, che prima del terzo seder non potesse il primo: poichè secoli d'intervallo non debbono ammettersi mai, ripugnando alle più sacrosante regole del Cristianesimo, e non avendo mai nè forza di persecuzioni, nè altra infernal macchina, fatto interrompere per sì gran tempo la Religione, e l'esercizio suo.* Auras arrigat Roschmannus, an Viro summo probari possit, grandis hiatus inter Cassianum & Lucanum, sive inter tertium & quintum sæculum, quem hiatum ipse Roschmannus admittere cogitur.

paulo ante ,, . De fide Apostolicis temporibus in hac Urbe sata, ,, deque Eutrepio a Divo Petro Apostolo huc misso, rumor ,, ruit omnis ,,.

XLII. Proxima quoque est Sabionensi, nunc Brixinensi Ecclesiæ, Feltrensis, vel ipsa a Plinio inter Rhætica oppida computata, quæ in catalogo Episcoporum suorum apud Ughellum primo loco recenset Frontejum, sive Fontejum apud Paulum Diaconum L. 3. c. 27. omnium, qui occurrunt, antiquioris recordationis, cujus Vicario nomine Actis Synodi Heliæ Patriarchæ Gradensis subscripsit Laurentius quidam Presbyter, sicut Marcianus quidam Presbyter iisdem Actis subsignavit se se vicario nomine Ingenuini Episcopi Sabionensis. Unde datur intelligi, Aquilejense schisma utriusque Feltrensis ac Sabionensis Ecclesiæ primos Præsules peperisse. Certe Ingenuinum fuisse ab Helia Aquilejensium Patriarcha consecratum tradit Hist. Salisb. L. 3. c. 6. pag. 240. Auctore P. Josepho Mezger. Or. S. P. B. Idipsum liquet de Episcopali olim Ecclesia, quæ modo antiquata est, *Acilensi* sive *Asilensi*, aut *Azolensi*. Quandoquidem Paulus Diaconus Lib. 3. Hist. Longobard. c. 26. numerat Agnellum de *Acilio* inter Episcopos, qui Synodo schismaticæ Marianensi adfuere. Vocat eundem Agnellum de *Asilo* Dandulus in Chron.not.11.Lib. 6. c.22. Testatur quoque Rubeus in Notis ad Synodum Mantuanam an. DCCCXXVII. pro caussa S. Aquilejensis Ecclesiæ celebratam, cui inter cæteros interfuit Episcopos Arthemius *Azolensis*, oppidi illius nimirum, quod vulgo nunc dicitur *Asolo* in Marchia Tarvisina, lectionem constantissimam editorum manuque scriptorum Codicum habere Agnellum de *Acilio*, eandemque lectionem ratam habuisse Carolum a S. Paulo, & Lucam Holstenium in Geographia Sacra, ac etiam probavisse Jo: Franciscum Palladium L. 1. Rerum Forojuliensium, ipsamque firmari ex Diplomate Othonis I. concesso Rocio, seu Rozoni Episcopo Tarvisino atque signato *anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIIII. Indict. XII.* ipsius Othonis *anno VIII.* in quo dignitatis Episcopalis, qua olim fulgebat *Castrum de Asilo*, sive Asilensis Ecclesia, diserta fit mentio. Legatur Rubeus de Schism. Aquilej. c. XI. Non ergo mirum Sabionensem Ecclesiam Schismatis Aquilejensis tempore primum enumerare Episcopum Ingenuinum, si ejusdem Schismatis ævo & Feltrensis & Asilensis Ecclesiæ Frontejum & Agnellum primos Antistites agnovere. Et sane sicut postea Ecclesia Sabionensis translata fuit ad Brixinen-

xinen-

xinensem, ita Episcopatus Asilensis devolutus est deinceps ad Tarvisinum. Ut missum faciam adhuc proximius Tyroli nostræ exemplum de Episcopatu *Avoticensi*, *Avoriensi*, sive *Aventiensi*; siquidem inter subscribentes Synodo Gradensi Episcopos, prout in Mantuana recensentur Synodo, refertur quoque *Aaron Avoriensis*, sive Episcopus Sanctæ Ecclesiæ *Avoriensis*, *Aventiensis*, *Avoricensis*, denominatione juxta nonnullos petita ab ea Provinciæ Forojuliensis parte, quæ *Cadubrium* (vulgo *Cadore*) dictitatur. Cum Alphonsus a Varea in Universo Terrarum Orbe Scriptorum calamo delineato, hæc habeat. „ Auronțium Urbs „ in Gallia Cisalpina in Venetia regione prope Anaxum, nunc „ *Auronzo*, Castrum Dominii Veneti in Cadubrio Forijulii Prov. „ ad radices Alpium, & in limine Tyrolis Comit. „ En plures Episcopatus, qui originem ab Schismate Aquilejensi traxere, ut mirum nequaquam sit, si inde fuerint exordia quoque Sabionensis Episcopatus profecta.

XLIII. Robur accrescit conjecturæ huic in Adversarium retortæ ex aliis Episcopatibus in Italia erectis, atque Aquilejensi Ecclesiæ subjectis, quorum catalogum videre est apud Ughellium Tom. V. Ital. Sacr. Namque in serie *Cenetensium* Antistitum primus recensetur *Vindemialis* an. 584., *Civitatis novæ* primus S. *Maximus* 381. *Comensium* primus S. Felix 379. *Concordiensium* primus *Clarissimus* 579. *Parentinorum* primus *Joannes* 579. *Petinentium* primus *Martianus* 579. *Tarvisinorum* primus *Joannes* 320. *Tergestinorum* primus *Severus* 579. *Caprulensium* primus *Anonymus* 598. *Clugiensium* primus *Henricus* 1110. *Torcellanorum* primus *Paulus* 680. *Jadrensium* primus *Felix* 381. *Justinopolitanorum* secundus Joannes 756. *Polensium* secundus *Venerius* 501. &c. Non diffitetur Roschmannus pag. 67. plures ex iis Episcopis, qui se se Actis Synodi Gradensis subscripsere, *primos esse*, sed e vestigio adtexit, quod *in multis primi sint, qui sciuntur præfuisse*. Ast si prædecessores ignorentur, antiquiorum Episcoporum successionem temere fingi nemo est qui non videat.

XLIV. Equidem S. Felicem, de quo Ughellianus Catalogus modo laudatus loquitur, fuisse primum Novocomensem Episcopum inclinante sæculo IV. certum perhibet testimonium Martyrologium Romanum 14. Jul. ubi legitur: *Novocomi S. Felicis primi ejusdem Civitatis Episcopi*; quem etiam primum fuisse edocemur ex Hymno de S. Abundio secundo ejusdem Urbis Episcopo apud Ughellium Tom. 5. pag. 258. nec non ex alio veteri Hymno de

no de S. Amantio tertio Comensi Episcopo apud eundem pag. 259. Primum quoque Novocomi ædificasse Ecclesias, ac primum Christi fidem ibidem disseminasse, hominesque a fide extorres Christo fuisse lucratum, discimus ex Epist. 4. S. Ambrosii ad eundem, ubi hæc scripta legimus num. 7. *Multa messis* (inquit) *sed pauci operarii, & difficile reperiuntur qui adjuvent ..... certe in illo ordine Comensium jam plerique cœperunt credere Magisterio tuo, & Doctrina tua verbum Dei receperunt. Sed qui dedit credentes, & adjutores dabit*. Mutinenses itidem haud nactos fuisse sacros Antistites Apostolorum successores, nisi posteaquam sub Constantino Magno totus Mundus ab idolorum superstitione defluere cœpit, atque ad verum Christi cultum confluere, non obscure colligimus ex Auctore Vitæ S. Geminiani Mutinensis Antistitis editæ ex MS. Veronensi Tom. 2. par. 2. Rerum Italicarum. Namque hæc ibidem pag. 691. scripta reliquit idem Auctor. „ Sane „ ad Christi culturam toto mundo confluente, jam dicta Civi- „ tas (Mutina) per Apostolorum successores Domini fidem reci- „ piens, vanam Idolorum respuit fœditatem, ac sanctorum præ- „ dicatione Sacerdotum amissam diu cœli recipere cœpit hæredi- „ tatem: In quorum Catalogo Confessorum Beatissimum Gemi- „ nianum..... eadem, Domino jubente, suscepit Civitas Muti- „ nensium, temporibus Joviniani Augusti totius Reipublicæ „ Principis. A quo cœlestis vitæ pabulo recreata, sanctæque pu- „ rificationis fonte purgata, superfluam Idolorum servitutem re- „ liquit, & suavi jugo Christi colla subegit „. Videantur Fratres Ballerinii Differt. III. cap. I. §. II. Sermonum S. Zenonis Episcopi Veronensis.

XLV. Quod si Roschmannus mutuari conjecturam malit ab Ecclesia Curiensi, cujus primum Apostolum dicit S. Lucium pag. 34. meminerit, quod supra monui, in Martyr. 3. Decemb. ejus fieri unice memoriam, ut Britannorum Regis, omnium primi tempore Eleutherii Papæ ad fidem Christi conversi, non ut Curiensis Episcopi: cumque Eleutherius Papa anno Christi centesimo septuagesimo Sotero Pontifici suffectus fuerit, si ab Ecclesia Curiensi (in hypothesi nimirum quod S. Lucius fuerit primus etiam ejusdem Episcopus) ad Sabionensem fas esset arguere, consequeretur, quod sicut Ecclesia Curiensis suis gloriatur sæculo ipso secundo Episcopis, ita iisdem quoque Ecclesia Sabionensis sæculo eodem secundo gauderet, atque adeo contra Ordinem Sabionensium Antistitum, quorum primus poni-

tur Cassianus, alii plures ipsum præcedenti sæculo præcucurrissent. (*a*)

XLVI. Non est etiam ut quicquam ex Metropolitanis Ecclesiis Aquilejensi, Mediolanensi, ac Laureacensi Roschmannus conjectet. Nemo est enim qui nesciat, Metropolitanas Ecclesias, quam Mater filiabus ætate præstat, tam cæteris sibi subjectis antiquitate præire. *Metropolis enim*, inquit præcit. loc. Van-Espen: *Urbs Mater est, idest quasi prima & præcipua reliquarum veluti mater*. Quod vero idem Roschmannus scribat pag. 102. ea, quæ de S. Maximiliano sæculi tertii medii Laureacensi Episcopo & Martyre dicuntur, *D. Cassiano fere ex integro applicanda*, videlicet, *Ratum ejus martyrium & Episcopatum esse legitimis Martyrum tabulis*; pura putaque verba sunt. Namque legitimæ Martyrum tabulæ sunt Martyrologia, in quibus S. Maximilianus ut Episcopus recensetur, Cassianus vero secus duntaxat ut Martyr commemoratur. Videatur Martyrol. Rom. 12. Octobr. ac 13. August. Proferat si potest Roschmannus pro adstruenda Ecclesiæ Sabionensis antiquitate, ea quæ produxit Hansizius pro stabilienda antiquitate Metropolis Laureacensis. Exhibeat Documenta simillima

(*a*) Similiter frustra conjectoram sumeret Roschmannus a S. Materno Episcopo, qui discipulus fuisse creditur S. Petri, ac Tungrenses, Colonienses, & Trevirenses, aliosque finitimos populos ad Christi fidem perduxisse. Alias consectariom illud quoque esset, ipsis Apostolorum temporibus jacta fuisse Sabionensis Præsulatus fundamenta longe ante Cassianum, atque Sabionenses haud minus de antiquitate sedis suæ gloriari posse quam Colonienses & Trevirenses, ut ut his non illis Martyrologium Romanum suffragari videatur. Præterquam quod cum necessum sit ad antiquitatem Christianæ Religionis apud Tungrenses, Colonienses, & Trevirenses, ipsis Apostolorum temporibus disseminatæ, geminos ponere ejusdem nominis Coloniensis Ecclesiæ Maternos Episcopos; alterum Petri discipulum, alium qui temporibus Constantini Imperatoris claruit, interfuitque primo Concilio Arelatensi, cujus etiam meminit idem Imperator in Litteris ad Melchiadem Pontificem Romanum relatis ab Eusebio; pugnant adversus geminatos hujusmodi Maternos Coloniensium Episcoporum Tabulæ apud Democharem de Sacrific. Miss. in quibus unus duntaxat adnumerator Maternus, qui præcessit Euphratem Arianum in Concilio Agrippinensi damnatum. Vid. Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. 14. Sept. Juxta ergo Tabulas illas, Coloniensis Ecclesiæ antiquitas Constantini Magni ætatem minime superat. Et nihilo tamen setius superabit Ecclesiæ Sabionensis major, si Deo placet, vetustas? Illud insuper animadverto, quod si Baronius in Not. ad Martyrol. Rom. Pridie Idus Aprilis a sua sententia de duobus Zenonibus haud invitus recessit, propterea quod Tabulæ Veronenses eosdem nequaquam exhibeant, oportuit quoque ipsum suam sententiam deserere de duobus Maternis, propterea quod illos Tabulæ Colonienses minime præferant.

lima Symmachi Papæ Epiſtolæ; teſtes adducat haud inferiores Eugippio ſcribenti Vitam S. Severini, ac Ennodio de S. Antonio Lirinenſi agenti; oſtendat Romanas chartas &c. quæ omnia videri poſſunt apud eundem Hanſizium, antiquitatem Metropolis Laureacenſis egregie probantem; tumque a Laureacenſi ad Sabionenſem Eccleſiam argumentari ipſi licebit, nobiſque erit velut magnus Apollo, cui omnes aſſurgemus, ac euge euge ipſi plaudemus, ingeminaturi quam lubentiſſime una ſecum pag. 115. ,, Laboremus omnes quotquot poſſumus in aſſerendo hoc ſancto ,, Epiſcopo noſtro, cujus ſedes Sabionenſis a tot Antagoniſtis ,, impugnata, pluribus utique etiam propugnatoribus indiget &c. Verum enim vero cum Sabionenſis ſedis antiquitas illis Documentis nitatur, quæ Anonymi Mabilloniani contra eam ſtantis ætatem auctoritatemque omnino non æquant, iiſque Monumentis, quæ totuplicibus ſuppoſitionis notis paſſim ſcatent, ut qui ea purgare penitus velit a mendis, Augiæ ſtabulum repurgandum adgrediatur, omittimus jurato illi Sabionenſium antiquitatum adſertori illud Ovidianum concinere:

,, Dicite Io Pæan & Io bis dicite Pæan ,,

ab illo potius audituri quid rurſus in ſuos, ut, ipſe vocat, Antagoniſtas occentet, quove pacto iterum iterumque in eos claſſicum inflet.

XLVII. Vitilitigat itaque rurſus: *Si poſt Ingenuinum omnia tam rite ac apte cohærent, etiam traditionem de primo Epiſcopo, ex antiquioribus, quos ſecutus eſt Hundius, hauſtam facile improbare nemo poterit: præſertim ſi a conjecturis forte non omnino contemnendis & antiquiſſimorum Codicum robore fulciatur.* Immo retorſerim ego in ſagittarium ſagittam, cum poſt Ingenuinum omnia, ut quam parciſſime loquar, incerta ſint ob ea, quæ ex Anonymo Mabilloniano, omnium a Roſchmanno pro ſua ſententia productorum teſtium antiquiſſimo infra deducemus; cumque nedum incerta, ſed & inepta, & fabuloſa ſint, quæ de Ingenuino ipſo circumferuntur, fuiſſe nimirum exilio mulctatum ab Authari (a), neque ſatis pateſcat, id effectum ſub alio quocumque Longobardorum Rege Aria-

(a) Quum Ingenuinus ex una parte ſe ſe Libello Schiſmaticorum ad Imp. Maurit. ſubſcripſerit an. 592. juxta annorum rationem a Rubeo initam in Monum. Eccl. Aquil. cap. XXXI. col. 273. & ex alia parte manifeſtum ſit ex S. Greg. L. 1. Epiſt. 17. data Menſe Nov. Indict. 9. Autharis mortem anno 590. contigiſſe: fieri nullatenus poteſt, ut poſt ſubſcriptionem ejuſcemodi Libelli Autharis Ariani perſecutio ipſum extorrem fecerit.

Ariano (*a*), quin imo e contrario nullibi reperire ſit, ulla Longobardos Reges in Catholicos perſecutione ſæviiſſe, neque itidem ſatis exploratum ſit, eorundem ditionem ad Sabionenſem Diœceſim ullatenus pertigiſſe; cum, inquam, hæc ita ſe habeant, viderit prudens doctuſque Lector, an omnia adeo rite apteque cohæreant, ut Auctor Œnipontanus venditat, numve jure ſcribere ipſe potuerit pag. 113. *nullas nos fabulas, ineptias nullas in noſtris, quæ probamus, Actis ſequimur.*

XLVIII. Neque ex Traditione de ſubſequentibus ad Ingenuinum Epiſcopis licet arguere ad illos, qui eum præceſſerunt; alias non ſolis niterentur conjecturis ejuſdem prædeceſſores, uti certius quam ex puris putiſque conjecturis de ſucceſſoribus conſtat. Traditio etiam Brixinenſis Eccleſiæ ſatis firma non videtur, ut certam fidem facere queat, quum in multis certo fallat, quæ legere eſt in utroque Proprio tum S. Caſſiani, tum S. Ingenuini. Conjecturas quoque, quæ hactenus, ſepoſitis partium ſtudiis, expendimus, minus habentes invenimus. Itidem Codices haud deprehendimus ea antiquitate & auctoritate præſtantes, ut valeant dubium omne depellere. Tum ſi juxta Roſchmannum ſtandum ſit Hundii Catalogo, in quo ducto a S. Caſſiano exordio texitur ordo Sabionenſium Antiſtitum, plane contra Roſchmannum ipſum ex illo conficitur, nullos Caſſianum inter & Ingenuinum interfuiſſe Sabionenſes Præſules, qui grandem hiatum plurium

(*a*) Barouins poſt annum 630. Ingenuinum ſuperſtitem facit, eumque ait a Rothari Longobardorum Rege Ariano, qui eo anno ſubrogatus eſt Arioaldo, *in exilium pulſum apud Brixinonem in Germaniam, ibidem diem obiiſſe.* Pagius eredit id ſub Ariovaldo Ariano contigiſſe poſt annum 624. Aſt Raderus Tom. 2. Bav. ſanct. in S. Lucan. Vit. eumque ſequntus Gevvoldus inficiantnr apud Bollandum *ea tempeſtate Brixinam oppidum fuiſſe, aut ejus extitiſſe nomen, ſed ſub Ottone III. manibus cinctam, & oppidi nomen indeptam.* Nec (quidquid ſecus eruditi plerique apud eundem Bollandum ſentiant) per *Brixentes* apud Plinium, aut *Brixantes* apud Ptolemæum intelligendi veniunt *Brixinenſes*, ſed forte melius *Brixienſes.* Plinius namque *Brixentes* diſtinguit ab *Iſareis* & *Brennis*, qui ſunt Brixinenſes; & ſicut poſt *Iſarcos* & *Breunes* collocat *Naunes*, ita poſt *Naunes* nominat *Brixentes.* Videndus Roſchmannus pag. 41. Adde eundem Plinium proxime poſt *Brixentes* memorare *Lepontios*, qui Salaſſis contermini ſunt circa lacum Verbanum, vulgo nunc *Lago Maggiore.* Porro, nimis diſtant Brixinenſes a Lepontiis, ut illi his proxime poſſint conjungi. Idem Plinius neque Brixinæ, neque Sabionæ, neque Veldidenæ, uſpiam meminit; ſecus Brixiam iterato laudat, uti quoque in ipſo Alpium Trophæo memorat *Sarunetes* in Vallibus Clavennenſi & Tellina, *Camunos* nunc *Val Camonica* ad Ollium fluvium *Triumplinos* ſive *Triumpilinos* nunc *Val Troppia* ad Melam amnem &c.

rium sæculorum a Caſſiano ad Ingenuinum adimpleant. Namque Ingenuinus ab Hundio diſertiſſime traditur *ſecundus Sabionenſis Epiſcopus*, uti etiam *ſecundus* nuncupatur in Galeſinii Martyrologio, ac in Faſtis ipſis Brixinenſibus *primus poſt S. Caſſianum*, tum quoque in Actis apud Bartholomæum, Petrum Calo, ac Petrum de Natalibus cubitalibus verbis: *ſecundus Epiſcopus Sabionenſis*.

XLIX. Quod demum poſt Ingenuinum omnia tam rite apteque in Hundii Catalogo non cohæreant, ut ſibi imaginatur Roſchmannus, fateatur ipſe vel invitus neceſſum eſt, ſi velit ſibi cohærere, nolitque ſecum manifeſte pugnare. Haud grave mihi fuerit ut ut longiuſcule protracta ejuſdem verba exſcribere, quæ habet pag. 136. ac ſeq. Namque ita loquitur: „ Si Hundii Catalogum conſulamus, primus S. Albuinus Sedem Epiſcopalem „ Sabiona Brixinam tranſtulit. Verum non ſatis firma hæc eſſe „ Diploma Ottonis II. Rom. Regis de anno 967. docet, quod „ in additionibus ad Hundium Gevvoldus attulit; in illo enim „ jam Richpertus non amplius *Sabionenſis*, ſed *Brixinenſis Eccleſiæ Epiſcopus* audit (*a*). Anteceſſor autem ipſius Wiſundus „ in Epiſtola Leonis VII. adhuc *Sabionenſis Eccleſiæ Venerabilis* „ *Epiſcopus* apud Cl. P. Hanſizium Germ. Sacr. Tom. I. fol. 192. „ & Tom. II. fol. 147. nuncupatur. Ut adeo potius Richperto, quam S. Albuino hæc migratio adſcribenda videatur. Neque ſatis curate rem hanc Aventinus dixit: *Circa eundem temporis tractum nempe anno Chriſti Servatoris noſtri MXXXVIII.* „ *Hervicus Sabonæ Noricorum Epiſcopus, Brixinam, quæ inde decem millia paſſuum diſtat, migrat: id Oppidum mœnibus cingit:* „ *Poſtbac Brixinenſis Epiſcopus, qui antea fuit Sabonenſis*. Aut „ melius illum emendavit ad hunc annum in Collect. MSS. Tyrol.

(*a*) Jam ante Ruſchmanuum id probe aoimadverterat cum Bruuneto Merianus in Topographia Provinciarum Auſtriacarum pag. 138., ubi obſervat, quod, etſi vulgo tribuatur Albuino tranalatiu Sedia Epiſcopalis Sabiona Brixinam, nihilo tamen mious Brouneroa par. 2. Annal. Bojor. pag. 370. adſeverer, Richpertum S. Albuini anteceſſurem in Diplomate Othunis II., nulla mentione Sabiunæ facta, jam Brixinenſem Epiſcopum fuiſſe nuncupatum. Id quod amplius firmari poteſt ex antiquiſſimo Munumentu apud Guatinonium a Reſchiu in Serie Epiſcopur. Sabiunen. a pag. 33. laudatum, in quo ita lego: „ Ego Radputus Comea cogitana inſtabilitatem præſentinm rerum, & deſideraos adipiſci præmium „ futurum, ttado ad Monaſterium S. „ Stephani & B. Ingenuini, quod eſt „ conſtructum in luco nuncupatu *Brixina*, cui Venerabilis Epiſcupus „ Richpertus præeſſe dignoſcitur &c.

,, rol. Putschius noster: *B. Hervicus*, inquiens, *Sabionensis Episcopus bodie Brixinensis: In Germanico exemplari legitur Præsul* ,, *Henricus de Sabiona f.* 388. *Errat autem boc loco Aventinus gra-* ,, *viter, quia non iste Antistes Hertvvicus, sed quartus Episcopus* ,, *ante bunc, nomine S. Albuinus Sedem cathedralem a Sabiona Bri-* ,, *xinam transtulit: ita loquuntur Ecclesiæ Brixinensis vetustiora Do-* ,, *cumenta. Porro S. Albuinum ultimum Sabionensem & primum Bri-* ,, *xinensem Præsulem in Brixinensi cathedra ordine secuti sunt Adal-* ,, *bero, Herbaldus, cujus immediatus primum successor iste Beatus* ,, *Hertvvicus Episcopus Comes Goritiæ*. Atque uti error errorem ,, parit, usus est, uti colligitur, hoc, de quo Putschius loqui- ,, tur, exemplari Germanico Aventini (ubi Henricus loco Hert- ,, vvici est positus) Burgklechnerus noster. Satius igitur fuis- ,, set, plures Catalogos prius conferre invicem, nec tam teme- ,, re asserentis fidem, aut typi errores sequi aut describere. ,, Hæc verbotenus ex Roschmanno. Igitur si tanta Auctorum dissonantia (*a*) in statuendo Sabionensi Præsule, qui Episcopalem Cathedram primus Sabiona Brixinam transvexit, ubinam sunt omnia illa, quæ post Ingenuinum rite & apte cohærent? Si Hundii Catalogus ita fallat, quo pacto de eodem prædicat Roschmannus pag. 111. hujusmodi esse, ut a sæculo nono inter curatiores censeri possit; quippe, ut inquit pag. 23. in eo collati, & examinati fuere Catalogi plures; neque proin Bollandianis acquiescit pag. 6. dicentibus: Catalogum Hundii, ejusque monumenta

(*a*) Non in Auctoribus diversis solum, sed & in uno Auctore Hundio quædam deprehenditur dissonantia ac antilogia. Hundius de S. Albuino scribit: *Hic primus sedem Episcopalem a Sabiona Brixinam transtulit*. De Hartvvico Episcopo: *Hic relicta Sabiona, Brixinam migravit, quam totam, ut nunc cernitur, manibus cinxit*. Ast in Herbardo, quem immediate ante Hartvvicum locat, post Adalberonem S. Albuini successorem: *Civitatem Brixinam primo muris parum munivit*. Videsis Bollandum in Actis SS. de S. Albuino, ubi adnotatur error Miræi in Notitia Episcopatuum verbo *Brixina* perperam consignantis translationem Sabionensis Cathedræ factam per Albuinum anno 1034., cum jam anno 1017. Hartvvicus Episcopus Brixinensis post Albuinum quartus fuerit, uti patet ex Diplomate Conradi II. Imp. dato anno 1027. ad Hertvvici Brixinensis Episcopi petitionem. Multo magis erravit Hundius, qui ita ejusce-modi translationem tribuit quoque Hartvvico, ut hunc dixerit anno 1038. Episcopum factum. Legesis eundem Bollandum de S. Ingenuino. Monet etiam Velserus Rer. Boicar. L. 5. ,, Habuit ,, illa (Sabiona) a Cassiano, quem puerorum stylis confossum narravimus, ,, complures Episcopos, inter quos ,, Ingenuinus & Constantius sanctitatis fama claruere: reliquorum nuda ,, tantum nomina, atque ea sæpe incerta supersunt. ,, Ergo ex relatis post Ingenuinum nil certi elici potest.

menta manca, ac parum integra (a)? Cur etiam *plures Catalogi conferendi erant*, si in Hundii Catalogo jam *collati & examinati fuere Catalogi plures?* Nonne ipse in Supplendis ad pag. 112. adserit: *Hundii Catalogus etiam Chronico Salisburgensi Canisiano defenditur?* Si vetustiora Ecclesiæ Brixinensis Documenta falsum illud (judice ipso Roschmanno) continent de migratione Cathedræ Sabionensis primum facta ab Albuino, ut quid idem Roschmannus ad hujusmodi Documenta, velut ad lydium veritatis lapidem, omnia vult exigenda, inflatisque crepat buccis pag. 111: *Si fontes novem sæculorum limpidos fateri necesse sit, an qui hæc præcesserunt lutulenti & turbidi?* Atque ita Roschmannum teneo suo ipso ore convictum ac judicatum.

CAPUT III.

Pensitantur responsa testimonio Anonymi Mabilloniani a Roschmanno adhibita.

L. **R**Ejectis jam Documentis, refutatisque etiam conjecturis a Roschmanno adlatis, quibus in explorandis antiquioribus Sabionensis Ecclesiæ primordiis, ceu in perquirenda abdita Nili origine, inauspicato adlaborat; superest responsa quoque ajenti adversæ sententiæ argumento ab ipso adhibita, leviori brachio discutiamus ac refellamus. Torquet illum magnopere imprimis quod Poeta Anonymus IX. sæculi Scriptor in Opusculo

(a) Hoc probari potest ipsis Hundii verbis ac ingenua ejusdem confessione. Quippe differens *de Sabionensi nunc Brixinensi Episcopatu* fol. mihi 295. ait: „Extare horom Episcoporum Catalogum ploribos in locis mancum „& parum integrum testatur Christophorus Wilhelmus Putschius, Guilielmi Putschii olim apud OEnipontem Regii Secretarii filius, Vir „Historiarom præsertim Tyrolensium „valde studiosus, ac diligens; cujus „extat Opus OEniponti manuscriptum „de Annalibus Tyrolensibus, at hoc „quoque mancum & imperfectum, ut „puto, ob immatorum ejus obitum, „& ideo non publicatum; quo tamen „hisce in Episcopis multum sum adjutus. Postqoam vero hos Brixinenses Episcopos plane jam absolverum, venit in manus meas prædictus Catalogus Brixinæ a Donato Fetio, Collegiatæ Ecclesiæ ibi Canonico, collectus ac nuperrime editus, „ex qoo, quæ magis digna ac necessaria sunt visa, infra putavi inserenda. Judicium sit penes Lectorem „in his quæ non concordant.

lo de Ordine Comprovincialium Episcoporum a Mabillonio pag. mihi 525. Analectorum veterum edito infit de Ingenuino primo Sabionensis Ecclesiæ, vergente VI. sæculo, Antistite his verbis pag. 527. ibidem relatis:

Hæc sedes Vallis Noricanæ dicta Sebana,
Ingenuinus habens primo quam rexerat almus &c.

Quare ut vim hujus argumenti positivi, & ajentis, quoquomodo potest, declinet, in omne latus sese vertit; ac primo respondet cap. XIII. pag. 59: „ Quam temere ajunt, S. Ingenuinum „ fuisse primum Sabionæ Episcopum ex Anonymo illo Mabillo- „ nii, quem tamen errare in recensendis Episcopis ipse hic Vir „ summus notavit Analect. Tom. 4. pag. 532. *In ordine Sabionensium Antistitum, vulgo Seben, quorum Sedes postea Brixinam migravit, ante Ingenuinum ponitur S. Cassianus, & post Ingenuinum undecim alii ante Mastulonem, qui in his versibus secundus est.* Jure an injuria isthæc Roschmannus ipse protulerit, Mabillonium legenti ad oculum patere facile potest. Tam procul enim ille fuit, ut per Sabionensium Antistitum Ordinem corrigendam putarit eorundem Episcoporum Sabionensium seriem a Poeta Anonymo exhibitam, ut potius ad hujus Poetæ Anonymi testimonium omni exceptione majus Catalogos cæteros expungendos censuerit; ut proin neminem futurum esse credamus, qui in Roschmanno majorem candorem ac fidem in explicanda Mabillonii mente non sit desideraturus: Tametsi nos qui probitatem ejus haud vulgari eruditioni junctam probe novimus, errorem hunc duntaxat acceptum feramus humanæ cuidam hallucinationi ac oscitantiæ, qua quandoque bonus dormitat Homerus, quave ipse ad cætera Mabillonii verba minime animum advertens suum, improvide confidenterque temeritatis adversarios suos insimulavit. Profecto enim Cl. Editor in suis ad id Adnotationibus disertissime tradidit pag. 531. *Ex præmissis versibus, quos sæculo IX. scriptos fuisse constat, corrigendi sunt vulgati Indices Episcoporum Metropolis Saltzburgensis.* Tum Tom. II. Annal. Benedict. Lib. XXIV. pag. mihi 204. ad ann. 770. *Mendosus est apud Hundium primorum Sabionensium Episcoporum Index, quem ex pervetusto Codice S. Emmerammi sic corrige: Hæc Sedes* &c. Nec non ad ann. 788. num. 43: „ Hæc constant ex genuinis Indicibus a „ nobis editis, ex quibus vulgati emendandi sunt &c. „ (a). Id-
ipsum

(a) Cæterum quod addit Mabillonius ibidem, Sabionensem apud Noricos Episcopatum *paulo serius fuisse erectum*, quam reliquos, quorum meminit,

ipſum alibi ſæpius ingerit. Quid clarius, ut pateat, non cenſuiſſe Mabillonium, in recenſendis Epiſcopis erraſſe Anonymum, ſed erraſſe potius Catalogos cæteros, Anonymum autem rem plane acu tetigiſſe? Proh cœcus gloriæ patrii ſoli amplificandæ amor! non ſinit ipſos ſolis radios intueri, cogitque ſæpenumero vel in ipſa meridiana luce palpare. Huic adſcribere malumus præfatum Roſchmanni errorem, potius quam vitio, candori ac fidei contrario, doloque malo ad fucum faciendum iis, qui nimis facile credunt quæ legunt: quæ quidem omnia procul abeſſe credimus ab Illuſs. Prov. Ordinum Hiſtoriographo Roſchmanno, Viro alias, ut Hiſtoriographum decet, ingenuo ac candido, cujus laudi confutatione hac nihil detractum volumus.

LI. Alia quoque via extenuare ſatagit præfatum argumentum, vimque ejus eludere Œnipontanus Conjectator, dum ibidem e veſtigio adtexit: „ Corrigendum putant Catalogum Epi„ ſcoporum Brixinenſium ad mentem hujus Poetæ Anonymi a„ liqui viri docti, ſed quis extraneo majorem fidem, quam tot „ Catalogis domeſticis adjudicabit?„ Sed quis, boni Superi! repoſuerim ego, Roſchmannum docuit, Anonymum illum Scriptorem extraneum potius eſſe quam domeſticum, cum Scriptoris Anonymi ignoretur nomen, cognomen, patria? Nunquid quia *advenam* prodit ſe ſe ad *Arietem Epiſcopum* ſcribens, nempe juxta Mabillonium & Hanſizium, ad Salisburgenſem Archiepiſcopum *Adalramum*, inde mox inferas non fuiſſe Sabionenſem? Sed ſi advena fuerit comparate ad Salisburgenſes, quæ conſecutio inde trahi poteſt, itidem fuiſſe, advenam comparate aut ad Ratiſponenſes, aut ad Friſingenſes, aut ad Patavienſes, aut ad Sabionenſes? Dein an non præ domeſtico audiendus extraneus, cum quæſtio verſatur de antiquitate propriæ Domus, Patriæ, aut Diœceſis amplificanda, cum facile ſit Judici agenti cauſſam ſuam, ac Ciceroni pro Domo ſua peroranti, aliquod hac ſuper re vanæ gloriationis vitium ſubrepere (*a*)? Manet mihi alta mente repo-

nit, Epiſcopatus, nempe Salisburgenſem, Ratiſponenſem, Friſingenſem, ac Patavienſem, probare nequaquam poſſum, cum multo D. Ingenuinus anteceſſerit Præſules omnes, qui cæterarum Eccleſiarum prima fundamenta jeciſſe ab Anonymo referuntur. Facilius admiſerim quod eo loci ſubdit, Sabionenſi Epiſcopatui *nullum proprium præfuiſſe Epiſcopum ante Ingenuinum & Maſtulonem*, atque in his aliiſque *immane adparere apud Hundium diſcrimen*.

(*a*) Appoſitiſſima in hanc rem quoque ſunt verba prælaudati P. Zaccharia ad D. E. Covi pag. 116: *Niente devete procurare tanto, quanto di ſgombrare l' animo da certi pregiudizj, onde*

repoſtum, quod ſcribunt Cl. FF. Ballerinii Differt. III. cap. I. §. II. Oper. S. Zenonis. *Quæ remiſſius ac minus glorioſe de aliqua Eccleſia feruntur, ea nullius popularis fabulæ ſuſpicionem ingerunt, ratiſſimaque præter cætera haberi debent*. Tam porro parvi pendendum haud eſt præfati Poetæ Anonymi teſtimonium, quam ſimillimi Poetæ Anonymi auctoritas magni fit ab ipſis FF. Balleriniis in Procem. Differt. Tert. cit. *Anonymus* (inquiunt) *Pipinianus IX. ſæculi Scriptor in Rhythmo de Veronæ laudibus paucis verſibus pauca quidem de Zenone cecinit, ſed quæ præmemoratis Vitis* (nimirum Coronati Notarii, Monachi Zenoniani, & Jacobi Veronenſis Presbyteri) *pluris haberi queunt*. Tum de eodem Pipiniano Anonymo infra cap. I. §. IV. *Is Coronato melius multo & ſine ullis additis, quæ Criticis difficultatem ingerant, illa paucis deſcribit*. Nonne Roſchmannus ipſe pag. 86. Anonymi Mabilloniani auctoritatem uſurpat, ac pag. 88. auctoritatem quoque Anonymi Paſſavienſis adhibet, quam etiam ſæpius laudat in Vita S. Valentini, tametſi ex conſenſu Auctorum anno duntaxat 1120. ſcripſiſſe conſtet? Legat Roſchmannus, qui penſi nihil habet præfati

de l'amor della Patria ſuole di ordinario prevenirlo e guaſtarlo. A queſte prevenzioni io attribuiſco le tante favole, che a grave danno della letteratura rinovellanſi tutto dì in aſſai libri anche d'Uomini celebratiſſimi, e con tanto ſtrepito e trionfo, che Piſtole e Diſſertazioni mandanſi innanzi ad annunziarne la ſtampa; come ſarebbe a dire, che Città vi ſia ſtata col nome di Etroria*, o che queſta foſſe l'odierno Viterbo; che S. Barnaba ſia ſtato a predicare la fede in Milano, ed abbiavi fondata la ſede Epiſcopale, che la Madonna Santiſſima abbia vivente ſcritta a Meſſineſi una lettera; che Teodoſio con ſuo Diploma ſtabiliſſe l'Univerſità di Bologna; che il corpo di S. Bartolomeo ſia in Roma. Le quali coſe non ſarà mai che uomo ſenſato le creda, per moltiplicare che facciaſi di Apologie e Diſſertazioni a ſoſtenerle. E' coſa da piagnerſi a cald'occhj, che uomini grandi intorno a ſimili baje ſi perdano, e che non ſi avveggano, quale alla riputazion loro facciano onta, quale alla patria loro portino danno, e come altrui diano occaſione di riſa e di beffe. All'amor della patria dee quello della verità antiporſi, e ſe lo ſtudio non giugne a farci forti contro agli umani riguardi, aſſai meſchino è il frutto, che ne traggbiamo. Anzi amor della patria non puote quello dirſi, che moſtrala, per apparire illuſtre, biſognoſa di falſi ingrandimenti*. Hæc ille apprime in rem noſtram, cujus tamen paulo liberiorem ſeverioremque criticen, quod ſpectat ea ab eo in exemplum adducta, ac tanquam futiles næniae, ac puras putaſque gerras exploſa, nequaquam probamus. Rogo ne quid nimium, néve ipſe eam in Arte Critica moderationem excedat, quam in Clerico difficiliore ex una, ac in Honorato a S. Maria ex altera parte ad credendum proniore, deſiderat. Certe adventum S. Barnabæ Apoſtoli Mediolanum contra nonnullos recentioris ætatis Scriptores ſingulari Opere perquam egregie non ita pridem vindicavit eruditiſſimus Saxius.

fati Anonymi testimonium Opera Pagii, Pezii &c. *(a)*, discetque ab eruditissimis Viris inposterum illi magis deferre, quum ipsi ad idem, pro re nata, velut ad aram, confugiant. Illud autem flocci nihilique facere aliis avide arreptis, quid, rogo, est aliud, quam inventis frugibus glande vesci, ut Ciceronis phrasi utar?

LII. Item si tanta adjungenda fides sit domesticis Catalogis, quum hi, ut dictum, Ingenuinum post Cassianum continuo Sabionensem Episcopum statuant, cur ipse contra fidem domesticorum Catalogorum enormem lacunam, quæ interest Cassianum inter & Ingenuinum, sive inter sæculum tertium quo primus, & sextum sæculum, quo secundus claruit, quæ sane lacuna omnem excedit fidem, aliis Episcopis, de quibus in domesticis Catalogis mentio nulla, quadantenus implere conatus est? Cur sequentes medios inter S. Cassianum & Ingenuinum commentus est cap. XVIII. pag. 113. inquiens: *S. Lucanum, Maturnium, binosque Anonymos, non ex domesticis, quæ certo periere, sed ex aliis Actis, ante S. Ingenuinum non improbabiliter adduximus?* Cur pag. 61. Divum Lucanum probat ex testimonio Ferrarii apud Raderum in Bavaria Sancta, ex Actis Bollandianis Tom. V. Julii, ex Actis Bellunensibus publica Auctoritate Veneta ad sæculi XV. initium confirmatis, nulla ratione habita illorum aliorum Scriptorum, *qui* (apud Meichelbeckium Tom. I. Hist. Frising. Dissert. 2. Prolegom. de Relig. Christian. in Bojoar. antiquit.) *simillima de S. Lucano Tridentino Episcopo, ac de Vigilio Tridentino itidem Præsule tradunt?* Numquid Scriptores domestici Ferrarius, Bollandiani, Bellunenses? Si contemnenda illius extrarii Testis auctoritas, cur illam sæpe laudat Hansizius utroque in Tomo Metropolis

(a) Antonius Pagius in Crit. Histor. Chronol. ad ann. 638. cui. mihi 1078: „ Boiiandus & Hundius Sanctum „ *Cassianum* ante Ingenninum ponunt, „ & post hunc alios ante *Mastulonem*, „ qui secundus est in versibus incerti „ Poetæ de Ord. Comprov. Pontif. a „ Mabillonio Tom. 4. Analect. pag. „ 525. publicatis. Florebat is Poeta „ tempore Luduvici Germaniæ Regis, „ cui Opusculum suum dedicavit, quo „ nihil habemus antiquius de Episcopis Metropoli Salisburgensi subditis „ &c. Quare cum Ecclesia Sabionensis „ in Regione a Paganis habitata locata esset, diuturna subinde fuere Interpontificia. Neque enim existimandum, Poetam adeuratissimum aliorum Episcoporum Sabionensium „ nomina ignorasse. Qui itaque in „ medium afferuntur, in his versibus „ non memorati, Episcopi tantum Regionarii fuere. „ Hieronymus Pezius etiam maximo itidem in pretio habuit idem Anonymi Monumentum, quod ideo recudere curavit, ac Tom. I. Rerum Austriacarum inseruit.

polis Laureacensis ac Salisburgensis? Numquid ignorare Auctor potuit quod de eo adnotavit Meichelbeckius Tom. 2. Histor. Frising. Differt. I. Prolegom. *Vixit ille Scriptor sub Annone Frisingensi Episcopo, qui anno Christi* 875. *mitram ac vitam posuit, ut patet ex iis verbis:*

Ecce pius sedens præsens nunc Anno gubernat.

Hic Poeta non solum seriem Salisburgensium, verum etiam Comprovincialium Præsulum, puta Ratisbonensium, Frisingensium, Pataviensium, ac Sabionensium accurate conscripsit? Potuitne Œnipontanum Historiographum latere, eundem Meichelbeckium minime veritum fuisse falcem mittere in Catalogum Salisburgensium Antistitum, ac plures perperam illi intrusos amputare, eo unice nomine, quod a Catalogo Anonymi Mabilloniani omnino absint, adeo ut ex verbis ejusdem Anonymi velut certum intulerit; *Vides, Lector, ex classe Salisburgensium NB. Episcoporum manifeste expungi Ansalogum, Savolum, atque Ezzium* &c. quos proin animadvertit, in Carmine sub Gebhardo Archiepiscopo sæculo undecimo composito non Episcopos, sed *tres Abbates* vocari (a)? An nescire Adversarius potuit quod in ejusdem Anonymi commendationem scripsit Hansizius Tom. II. Germ. Sacr. de Episcopo Salisburgensi I. S. Ruperto Bojorum Apostolo differens pag. mihi 35. sub num. VI. *Sunt Catalogi Episcoporum Salzburgensium vetustissimi, ex quibus recentiores corrigi debent. Est autem Catalogus omnium vetustissimus Poetæ Anonymi, qui sæculo nono ineunte, idest annis non plus centum post Rupertum vixit?* Fortene non legit, quæ idem scribens Hansizius de Episcopo Salisburgensi II. S. Vitali pag. 63. sub num. V. inquit: *Quum invenisset* (Mabillonius) *suscepto itinere Germanico in Monasterio S. Emmerammi Codicem antiquissimi cujusdam Poetæ Anonymi, qui sæculo nono nondum adulto scripsit Opusculum: De Ordine Comprovincialium Pontificum, sententiam suam*

(a) Certe idem Meichelbeckius in calce ad Acta Annonis fol. mihi 136. successionem Episcoporum Frisingensium a D. Corbiniano usque ad Annonem deductam roborat ejusdem Anonymi auctoritate, inquiens: „ Idem optime nobis explicat Poeta synchronus, qui „ sub Annone vixit & scripsit &c. „ Ac tam longe fuit, ut antiquiorum Carminum Anonymorum auctoritatem contempserit, quod S. Corbiniani vitam fol. mihi 26. clauserit pervetusto piaque simplicitate pleno Carmine apud Arembeckium, in quo inter prodigia cætera D. Corbiniano familiaria refertur miraculum de Urso ab ipso cicurato: *Domitat hic Ursum post equum peremptum.* Cui simile prodigium de S. Romedio, aliisque Sanctis, refertur, quod proin haud facile ad aniles fabulas rejiciendum videtur.

ſuam Tom. IV. Analectorum ita declaravit: Primo quidem, inquit, ex claſſe Salzburgenſium Epiſcoporum expungendi ſunt Anſalogus, Savolus, & Ezius, qui poſt Vitalem apud Hundium recenſentur: deinde poſt Vigilium Betricus: nempe quod iſtorum Poeta prædictus in recenſione Epiſcoporum Salzburgenſium nequaquam meminerit?

LIII. Viderit, quæſo, Roſchmannus, qui penſi nihil habet Anonymi illius auctoritatem, ne ſibi adimat omnium vetuſtiſſimum, ac poſt Martyrologium Romanum omnium maxime authenticum teſtimonium pro vindicanda a moroſis Cenſoribus D. Ingenuini ſanctitate. Neque enim ad eam comprobandam quicquam valet Pauli Diaconi teſtimonium in Longobardorum Hiſtoria apud quem L. 3. c. 27. nuncupatur *Clariſſimus Ingenuinus de Sabione*; epithetum enim illud ſoli competere Epiſcopo Concordienſi, erroremque, qui in Codicem irrepſit, ita corrigendum eſſe: *Petrus de Altino, Clariſſimus de Concordia, Ingenuinus de Sabione &c.* demonſtravit Noriſius Diſſ. Hiſt. de Synodo Quinta Cap. IX. §. IV. pag. mihi 53. col. 1.; alias non haberentur expreſſa decem Epiſcoporum nomina, quæ enumerare Paulus ſpoponderat. Ut illud omittam, quod Scriptor ille trium Capitulorum hiſtoriam præpoſtere accipiens (*a*) eorum accerrimos defenſo-

(*a*) Præuutavit hunc Pauli Diaconi grandem errorem Bollandus in Actis SS. de S. Ingen. V. Febr. Comment. Hiſt. §. II. num. 6. ajens. „ Aliud Paulus „ Diaconus Ingenuini factum narrat, „ & quod gravi culpa non caruit, lau„ di vertit, acerrime tria Capitula de„ fendiſſe „. Quæ ſint tria Capitula diſcimus ex Conſtituto a Stephano Baluzio edito, quo Vigilius Pontifex Summus V. Synodo conſenſum auctoritatemque præſtitit, quum in illo hæc habeantur: Tria impia Capitula anathematizamus, atque damnamus, ideſt Epiſtolam, quæ dicitur Ibæ ad Marim Perſam; & impium Theodorum Mopſueſtenum; & quæ impie Theodoritus conſcripſit: Tria hæc Capitula fuere merita damnatione perculſa eo nomine, quod Hæreſi Neſtorianæ faverent. Defenſores autem horumce Capitulorum illam prætexebant cauſſam, quod in IV. Synodo Calchedonenſi omnem damnationem penitus evaſiſſent, illaque poſtea damnare eſſet ejuſdem Calchedonenſis Synodi auctoritati omnino detrahere. Cæterum nedum ex præfato Conſtituto Vigilii Papæ, verum etiam ex Epiſtola V. Pelagii I. ad Narſetem Romani Exercitus Ducem, in qua V. Synodus adverſus tria Capitula celebrata *Univerſalis Synodus* appellatur, ac Venetiarum Iſtriæque Epiſcopi, præſertim Paulinus Aquilejenſis factionis ſchiſmaticæ caput, invocato ſæcularium Poteſtatum auxilio, coercendi, ac in ordinem redigendi dicuntur; ex Pelagio II. Quintam Synodum Pontificia auctoritate itidem adprobante, uti videre eſt in ejus Epiſtola ad Heliam Aquilejenſem, & Iſtriæ Epiſcopos, ab Eccleſia Romana ob trium Capitulorom defenſionem divulſos; ex Epiſtola S. Gregorii Magni ad Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, in qua Synodum Quintam ecu OEcumenicam veneratur; ex Secretario IV. Concilii Lateranenſis adverſus Monothelitas ſub S. Martino hujus nominis I. legi jubente Concilii V. definitionem cum hac Epigraphe: *Definitio*

fensores, quos inter Ingenuinus, ceu optimæ caussæ Patronos impense commendarit, tametsi eo nomine maxime culpandi essent, velut grandis ac diuturni schismatis Auctores, ac V. Synodo OEcumenicæ refractarii. Qui quidem Pauli Diaconi pudendus error nedum adhæsit Bartholomeo Tridentino, Petro Calo, Petro de Natalibus &c. verum etiam ab eo haud procul abesse videtur ipse Roschmannus, dum pag. 64. 65. 113. &c. cubitalibus litteris æque vocat S. Agnellum Tridentinum Antistitem, ac S. Ingenuinum Sabionensem Episcopum, cum tamen Agnelli Tridentini Viri certe Schismatici sanctitas ex solo testimonio Bartholomæi, Petri Calo, ac Petri de Natalibus, qui palmari ejuscemodi Pauli errore decepti sunt, comprobetur; nec eum usquam ut Sanctum Ecclesia Tridentina coluerit (*a*), quamlibet vel ipse pro redemptione Captivorum caritatis suæ periculum gloriosissimum fecerit (*b*), ac ope Theodolindæ Longobardorum

nitio sancta Quinta Synodi; ex Libro Diurno Romanorum Pontificum Synodum V. cum aliis quatuor OEcumenicis adnumerante &c. sole clarius evincitur eam vere OEcumenicam habendam, adeoque a temeritatis nota, ne quid gravius dicam, nullo pacto excusandum Halloixium, qui V. Synodum ausus est sugillare ceu *Justiniani Conciliabulum Diabolo instigante confectum*.

(*a*) Hac eadem ratione permotus Bollandus ait Comm. Hist. §. V. num. 40. non est ausus Sanctorum Actis Constantium, sive Constantinum Antistitem Sabionensem inserere, tametsi sanctitatis fama præfulgidum apud Petrum de Natalibus, Ferrarium, Velserum, Hundium, Raderum &c. „ quia, inquit, nulla Constantii in Brixinensibus fastis memoria fit, eum hac die „ in fastos nostros non retulimus.

(*b*) Paul. Diac. L. 3. c. 32. de Gestis Longobardorum memorat *Agnellum Tridentinum* una cum *Ingenuino de Savione* soluta pecunia captivorum redemptionem obtinuisse in Castro Ferruge. Castrum hoc, de quo etiam loquitur Aimoinus Floriacensis Hist. Franc. L. 3. c. 83., esse putant Verrucam a Cassiodorio descriptam Brunnerus, Cluverius, atque Bollandus. At Pantaleon Bortius siquis alius in Diœcesi Tridentina eruditissimus, quem pridem præfestina mors bonorum omnium luctu nobis præripuit, in ea erat opinione, Castrum Fertugo Castrum esse Perginense, nomenclatura derivata, cum a fluvio Fersina haud procul ab illius radicibus præterfluente, tum a ferri fodinis queis Perginenses olim montes abundabant. Ac Castri præfati nomen facile potuisse a fluvio proximo derivari, patet pluribusque exemplis, quibus docemur, fluviorum nomen in Castrorum nomenclaturam adoptatum. Vid. Velser. Rer. Boicar. L. III. pag. mihi 90. Idem etiam Agnellus Tridentinus pro redemptione Captivorum obtinenda ab eodem Paulo Diacono in Historia Longobardica memoratur ab Agilulpho Legatus missus ad Francorum Regem L. 4. c. I. Prælaudatum christianæ caritatis in captivis redimendis facinus magnopere commendat Petrus Calo in Legenda S. Ingen. his verbis. „ His „ diebus Franci multa Castra Tridentinorum fide data everterunt & Castrenses abduxerunt. Ferrugo vero „ fuit Castrum forte, ubi sexcenti Viri confugerant, pro quibus Episcopi „ Dei Ingenuinus Sabionensis, & Agnellus Tridentinus, intercesserunt, & „ sexcentis solidis datis liberaverunt „ oppressos. „

rum Reginæ, ac Secundi Tridentini, de quibus mox, facile ad Ecclesiæ unitatem revocari potuerit. Quam ergo satis non est ad sanctitatem Agnelli Tridentini commonstrandam Pauli Diaconi, Bartholomæi Tridentini, Petri Calo, ac Petri de Natalibus &c. testimonium, tam nihil evincit pro firmanda sanctitate Ingenuini Sabionensis.

LIV. Nec Anonymi antiquitatem exæquant Diplomata Henrici Sancti Bambergæ 1020. Henrici IV. anno 1078. ac 1081. nec non Conradi II. 1027. quibus Sancti titulo Ingenuinus insignitur; maxime cum vetustiora Diplomata Ludovici Pii anno 830. Ludovici IV. Imperatoris 901. ac 909. Conradi I. 916. de ea nihil habeant, uti est apud ipsum Roschmannum pag 24. & seqq. Retinenda itaque pro vindiciis sanctitatis Ingenuini primi Sabionensis Antistitis auctoritas antiquioris illius Poetæ Anonymi, apud quem Ingenuinus audit & est *almus* sive Sanctus (*a*). Nam *almum* pro Sancto accipi legere est in Carmine vetustissimo apud Baronium ad ann. 638.

„ Tu modo cælorum quapropter Janitor *alme* &c.

In

(*a*) Ex hoc Epitheto melius conjicitur Iogenuini sanctitas, qoam ex titulo *Clarissimi* apud Petrum Calo Fossoclodieosem, qui Legendam S. Ingenoini ita exorditur: „ Ingenuinus sanctus, „ quem Paulus iu Gestis Longobardo„ rum, quæ scripsit, *Clarissimum* asse„ rit &c. „ Namque, uti paulo supra cum Notisio adootavimus, titolus *Clarissimi* apod Paolum tribuitur non Episcopo Sabiooensi, sed Coocordiensi. Quod si quis argotetur tam ex tituto *almi* elici haud posse Ingenuini sanctitatem, quam inserri non potest ex titulo *Pii*, quem Venaotius Fortunatus, libellum soum adloqoens, in fine Libri quarti de Vita S. Martini tribuit Paulo sive Paulioo Aquilejæ Præsuli, rebelliom Venetorum in Schismate trium Capitoloium post Macedonium facile Priocipi inquiens:

Pontificemqoe pium Paulum cuplenter ad ora,
Qui me primævis eonvertl cupiebat ab aonis.

Namque adeo dispar est inter utrumque ratio, quam inter vivum & mortuum. Iogenninum namque jam dio mortuum Anonymus Mabillonianus appellavit *almum* sive pium ac sanctum, quæ species est cujosdam cultus. At Venantius Fortunatos vitam adhuc agente Paulino post sæculi sexti medietatem Libros de Vita S. Martini scribebat, de eoque ita canebat, non cultus, sed solios honoris gratia. Legatur Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. cap. III. a col. mihi 24., qui etiam cap. XIX. num. I. monet Epigraphem, in pavimenri medio Ecclesiæ S. Euphemiæ in Insula Grado positam, præferentem titulum *Beati Præsulis Heliæ*, qui & ipse Aquilejensis Schismatis fautor præcipuus fuit, sequiori ævo, recentiorique manu fuisse insculptam, quam ut ejusdem Heliæ ætate credi possit impressa. Certe *almum* pro sancto usurpari patet ex geminis Diplomatibos apud Tom. III. Hund. cum Not. Gevvold. fol. mihi 131. quæ incipiunt: *Alma mater Ecclesia &c.* altero dat. ann. Dom. MCCXCIX. alio MCDVIII. io quibus conceduntur quadraginta dierum Indulgenriæ in pluribus anni solemnitatibus, signanter *SS.*

Marty-

In Carmine, quod ad calcem Rhythmi de D. Filaſtrio Epiſcopo adjectum habetur in priori ac vetuſtiori ex duobus Codd. MSS. Brixianæ Eccleſiæ:

Perfectus quondam fueras, Pater *alme* Filaſtri &c.

Ac in ipſo Rhythmo:

Nam rudem plebem, maculas habentem
Exuit multas veteres, noviſque
Induens, ipſam renovando Chriſto
moribus *almis*

Quemadmodum legere eſt in Collect. Vet. Patr. Brix. Eccl. pag. 375. ac 378.

In Epitaphio S. Cummani Epiſcopi in Annal. Benedict. ad ann. 722.

Sit manifeſtum *almum* ubi tegitur corpus &c.

In ſepulcrali Inſcriptione S. Bonifacii IV. apud Pagium ad ann. 614.

Gregorio quartus jacet hic Bonifacius almus &c.

In alio ſepulchrali Monumento S. Theodlecheldis apud eundem Pagium ad an. 680.

In Dogmate *alma* &c.

In Bulla Leonis III. commendante Arnonem Juvavienſem Archiepiſcopum velut:

Almificum, Sanctum &c.

In calce Epiſtolæ Theotmari Juvavienſis itidem Archiepiſcopi ad Joann. IX. Pont. Max.

Alme Pater Mundi dignus cognomine Petri &c.

In Poematibus Alchvvini de SS. Zaccheo & Martino:

Zaccheus *alme* tuis &c.
Martini fimbribus *almi* &c.

In MS. Miſſali Ambroſiano:

Almificus Antiſtes Ambroſius &c.

In Codice Membranaceo vetuſto apud Roſchmannum in Conject. pag. 83. de S. Caſſiano:

Vox Patris *almivoma* &c.

In Carmine Anonymi ſæc. XI. de S. Ruperto:

Hæc loca Rudpertus ſibi delegit Pater *almus* &c.

Item in Lexico Latino variarum Linguarum, ubi dicitur *almus* *San-*

Martyrum Laurentii & Georgii, Confeſſorum Nicolai, Corbiniani, Martini ac Zenonis &c. Ubi obiter obſerva, S. Zenonem inter Confeſſores enumerari, prout a Martyribus diſtinguuntur.

Sanctus &c. nec non in Glossario Ducangii, in quo *almus* idem sonat ac *pius &c.* tum in Divinis Officiis, in quibus sæpenumero illæ insonant voces *alma mater*, *mater alma*, *almo spiritu*, *almo germine*, *almi corporis*, *almis cœtibus*, *almum carmen*, *Deus alme*, *Creator alme*, *alma Lux Jesu*, *Confessor almus &c.* Quid plura? Ipse Anonymus solos sanctos hocce ornat epitheto, cum apud eum, sicut *almus* audit S. Ingenuinus, ita *almus* quoque nuncupatur S. Rupertus, *almus* S. Corbinianus, *almus* Hitto Frisingensis Episcopus sanctitatis famæ apud Cozrohum Scriptorem coævum, apud additamenta Martyrologii Venerab. Bedæ, apud Meichelbeckium in Hist. Frising. &c. præclarus. Porro Anonymum aut ex Diptychis (*a*) suos hausisse ac concinnasse Elenchos, aut ex fama, quæ anteactis temporibus ad suum usque vigebat ævum, ambigendum haud est. Ridendus autem foret potius quam refutandus, qui eum faceret testem locupletissimum ac omni exceptione majorem in Epitheto *primi*, non vero in Epitheto *almi*, imo in hoc ipsum existimaret Poetam fallacissimum, cui Pauli Diaconi, in Historia Aquilejensis Schismatis toto cœlo a veritate aberrantis, fuligo facile adhæserit. Præsertim cum famam sanctitatis Ingenuini, ac Diptycha, ad quæ respexisse, & ex quibus didicisse Anonymum, dubitandum non est (*b*) supra Pauli ætatem altius assurgere, verisimillimum videa-

(*a*) Quod Ecclesiæ, quas memorat Anonymos, ac quarum ipse recenset Episcopos, sua propria Diptycha habuerint, sive propria & ab aliis diversa Kalendaria, ex iis colligere possumos, quæ in Præfat. ad Acta MM. scripsit Vir Clarissimus Ruinartius. Nihil enim antiquius, uti testatur Sazomenus L. 5. c. 3., quam ut unaquæque Ecclesia haberet *suum Episcopum*, *suum Clerum*, *dies item festos Martyrum suorum*, *& commemorationes Episcoporum, qui ipsis præfuerunt*. Videsis Roschmannum pag. 74. & seq.

(*b*) Ita sentit de simili Catalogo noni sæculi Maffejus Veron. Illustr. Lib. VIII. col. 209. inquiens: *Non è da dubitare, che la recita de' nomi di trenta Vescovi Bresciani, che fa in un Sermone Ramperto, il quale tenne quella Sede nel nono secolo, da' Dittici non derivasse*. Adeo verum, quod idem Vir summus paulo ante præmiserat: *In moltissime Chiese monumenti o Scrittori conservati si sono, che la notizia de' Vescovi dagli stessi Dittici trascrissero*. Eodem ex Diptychorum fonte Martyrologia profluxisse docet. Itaque tanta debet esse Anonymi Mabilloniani auctoritas apud Brixinenses, quanta sit auctoritas Anonymi Pipioiani apud Veronenses: quin imo major; quod enim de hoc Anonymo animadvertit Maffejus ajens: *E' da avvertire, che l'esser questo monumento in versi, qualche parola fece apporre al pure Catalogo &c.* minime quadrat in Anonymum nostrum, cum brevitatem Catalogorum apprime servarit, nec alia tribuerit elogia Ingenuino, quam ea dontaxat, queis alios Sanctos novorum Episcopatuum primos fundatores ornare consuevit.

videatur, neque ullum, nisi ariolando, statui possit principium; quum primum ejuscemodi fama sanctitatis invaluerit, occasionemque cultus D. Ingenuino delati præbuerit. Ac sane prodigio simile videtur, errorem Aquilejensis Schismatis, ad Sergii Papæ usque tempora adhuc vigentem, nullum invexisse D. Ingenuini cultum, ipsissimumque errorem jam postea sublatum, post diu finitam caussam, solius Pauli Diaconi Sycophantia, eundem cultum tam facile peperisse, latiusque disseminasse: adeo ut ex uno Pauli errore D. Ingenuini cultum promovere nedum studuerint sancti Viri numero plures, nempe S. Albuinus, S. Henricus, B. Hartmannus, B. Eberhardus &c. verum etiam ipsi Pontifices, quos inter Alexander IV. Quis credat unum Pauli errorem potuisse tantum apud tantos suadere malorum, quantum est in supertitiosissimo cultu viri ad obitum usque Schismatici, & in Romanam Ecclesiam perduellis? De quo plura Capite mox sequenti.

CAPUT IV.

Ex Anonymi Mabilloniani testimonio duo consectaria deducuntur, nempe Ingenuinum & primum Sabionensem Ecclesiam rexisse, & sanctitatis quoque fama illustrasse, unde conjicitur ab Aquilejensi schismate recessisse.

LV. Ex hactenus dictis duo inferri posse videntur. Primo quidem parvi pendentes Anonymi Mabilloniani auctoritatem, sed Ingenuini sanctitatem propugnantes, sibi adimere locupletissimum pro ea adserenda testimonium. Tum secundo magni secus æstimantes ejusdem Anonymi testimonium, sed Ingenuini sanctitatem negantes, sibi satis non constare, cum ea ex Anonymo ipso diserte probetur. Neque illius sanctitati officit, semel schismaticis trium Capitulorum fautoribus mordicus adhæsisse; cum etiam constet Theodorum Africanum Episcopum, trium Capitulorum acerrimum defensorem, ac propterea diu a Justiniano Imperatore in exilio detentum, quum anno quingentesimo sexagesimo quinto obiisset, honorifico sepulcro fuisse honestatum in Ecclesia juxta Sanctos Confessores, quibus jussu Hunnerici

nerici Wandalorum Regis ob defensam solemni confessione Filii Dei divinitatem, linguæ fuerant amputatæ, teste Victore Tunonensi in Chronico. Sicut enim verisimile est, Theodorum Africanum, quamlibet in defensione trium Capitulorum antea obfirmatum, in communione Ecclesiæ e vivis decessisse, licet Victor Tunonensis id sileat; ita verisimilitudine haud caret, quamvis nihil de hoc diserte legere sit, non antea satis concessisse Ingenuinum, quam ad Ecclesiæ unitatem post schisma fuisset reversus, id quod accidisse colligimus, posteaquam S. Gregorius Theodolindam ad trium Capitulorum damnationem, susceptionemque Quintæ Synodi adduxit. Quandoquidem S. Pontifex testatur in Epist. ad ipsam data Indict. VII. idest anno 603. cadente, vel insequente Lib. XIV. num. 12. sive juxta veterem Editionem Lib. 12. Epist. 7. eam ad se transmisisse objectiones Secundi vel Secundini Tridentini contra laudatam Synodum, & contra judicium in tria Capitula latum, ut illas dilueret: quod quidem cum ob gravissimos podagræ dolores præstare tam cito non potuisset, Acta Quintæ Synodi transmisit cum Secundino communicanda, ut ex eorum lectione disceret, hanc Synodum Calchedonensi minime repugnare, ac tria Capitula haud injuria diris devovisse: „ Illud autem (inquit Magnus Gregorius) „ quod Excellentia vestra scripsit, ut dilectissimo filio nostro Se„ cundino Abbati, ad ea quæ scripsit subtiliter respondere de„ beremus: quis vel petitionem illius, vel vestra desideria, quæ „ multis esse profutura cognoscit, si ægritudo non obsisteret, du„ ceret postponenda? Sed tanta nos podagræ nunc infirmitas „ tenet, ut non solum non dictare, sed nec ad loquendum pos„ simus assurgere, sicut & præsentium portitores Legati vestri „ cognoverunt, qui nos & venientes infirmos invenerunt, & di„ scedentes in summo vitæ periculo atque discrimine reliquerunt. Sed si omnipotente Deo disponente convaluero, ad cun„ cta quæ mihi scripsit, subtiliter respondebo. Eam tamen Sy„ nodum, quæ piæ memoriæ Justiniani tempore facta est, per „ latores præsentium transmisi, ut prædictus filius meus dile„ ctissimus ipsam relegens, agnoscat quod falsa sunt omnia, quæ „ contra Sedem Apostolicam, vel Catholicam Ecclesiam audie„ rat. Absit enim nos cujuslibet sensum hæretici recipere, vel „ a tomo Sancti Leonis predecessoris nostri in aliquo deviare. „ Sed quæcumque a Sanctis quatuor Synodis sunt definita reci„ pimus, & quæcumque reprobata sunt, condemnamus. „ Porro cum Theodolinda amplius præfatæ damnationi ac Synodo

non restiterit, neque amplius in eas scripserit Secundinus; hinc conjectare licet, cessisse omnes veritati, ac secum quoque Agnellum Tridentinum Episcopum, ac cum Agnello fidum ejus Achatem Ingenuinum Antistitem Sabionensem una simul traxisse. Sane quid, amabo, verisimilius, quam dubitationes, queis Secundini Tridentini mens fluctuabat circa Quintæ Synodi acceptationem, fuisse ipsas, quibus mens Agnelli Tridentini Præsulis, ac proximi Ingenuini Sabionensis Episcopi, itidem circa eandem nutabat? Sicut autem eæ in Secundino animum ab unitate Ecclesiæ Catholicæ alienum minime produnt, illisque depulsis Monachus ille pientissimus Gregorio tandem ac præfatæ Synodo acquievit, idipsum de prælaudatis Episcopis verisimiliter censendum videtur. Fuere quidem hi forte, qui una cum Episcopo Brixiensi, ejusque populo dehortati sunt Theodolindam, ne cum Mediolanensi Episcopo Constantio communicaret, nisi jure jurando se se obstringeret ad tria Capitula minime condemnanda, uti colligi posse videtur ex Gregorii Epist. 39. Lib. 4. Verum tergeminos illos Episcopos conflati schismatis olim fautores ideo verisimile est, ad ejusdem Theodolindæ ac Secundini exemplum errorem schismaticum tandem fuisse dedoctos, ac omnino abjecisse, adeoque cum Constantio, ipsaque Romana Sede, ac Catholica Ecclesia, postremo communicasse, quod nullibi legere sit, ullam ulterius Constantio intulisse molestiam, atque ab ejusdem communione deinceps abhorruisse, sive eum absterruisse a damnatione antefata. Id quod profecto, si reapse accidisset, elucere deberet ex totuplicibus Epistolis, quas Sanctum Pontificem ad eundem Constantium scripsisse constat. Legatur S. Gregorii P. M. Vita, quam adornarunt eruditissimi PP. Maurini, quamve præfixerunt Tom. 4. ejusdem operum Lib. 2. c. 12. ad ann. 593. 594. Et quid mirum Sanctissimum illum Pontificem, tam ob gesta scribenda, quam ob scripta legenda cognomento magnum, qui tantam animi magnitudinem in profligando schismate testatam reliquit, ad melioris vitæ frugem Schismaticorum plurimos reduxisse; cum Joannes Diaconus disertissime scripserit Lib. III. cap. I. de iis, qui sub Libello confitebantur sese Calchedonensem Synodum venerari, renuebantque Synodo V. subscribere: *Ligures, Venetos, Hiberos, aliosque a schismate compellens ad unitatem Sanctæ Ecclesiæ* (Gregorius) *revocarat?* Nonne ad id nullum non lapidem moverat, nullique labori pepercerat, adhibita pro reconciliandis Catholicæ Ecclesiæ Schismaticis opera, nedum Episcoporum plurium & Abbatum, verum etiam Exarchorum Raven-

Ravennatensium, Virorum cum Militarium, tum illustrium, ipsarumque Reginarum, Theodolindæ apud Longobardos & Brunichildæ apud Francos? An non Gregorii conatus pro schismate exterminando Divinum Numen quotidie prosperabat? Nunquid difficile erat obsequi Sanctissimo Pontifici, qui scriptis, precibus, muneribus, sponsione veniæ, omnique caritatis significatione, omnes intra sinum Matris Ecclesiæ amplecti studebat, quive plus sese solicitum exhibebat pro scissura a Christi Ecclesia tollenda, quam pro damnatione trium Capitulorum acceptanda? Quid facilius quam morem gerere illi Pontifici unice contento, ut Ecclesiæ unitas servaretur a detrectantibus sese trium Capitulorum damnationi subscribere? Majusne excogitari poterat pro reconcilianda unitate invitamentum, ac efficacior œconomia? Quibus addo ad restituendum Romanæ Ecclesiæ Ingenuinum forte etiam tribuisse multum, cum Mastalonem, de quo infra dicam, tum exilii ærumnas, quas passus est, ac etiam insignem caritatem erga captivos exercitam.

LVI. Profecto meliora sentire cœpisse haud paucos a Catholica communione extorres, prudenti Sanctissimi Pontificis Gregorii œconomia ac dispensatione, nec non præclaro sapientissimæ Theodolindæ exemplo permotos, tradit Graveson in Præfat. Hist. Eccl. præfixa Tom. 2. complectenti V. & VI. Ecclesiæ sæculum num. XII: ,, Ea œconomia, inquit, & prudenti dispensatione ,, usus Sanctissimus ille Pontifex . . . . quam plures Schismati- ,, cos, qui Synodum quintam esse contrariam Calcedonensi per- ,, peram autumabant, evulso eo dubio, quod eorum animis alte ,, insederat, ad Ecclesiæ communionem feliciter revocavit. ,, Eorumque plures Episcopos, Clericos, ac de plebe Fideles fuisse a Magni Gregorii solicitudine, Numine adjuvante, expugnatos, atque ad id quoque strenuam Gregorio commodasse Operam Viros præclarissimos Basilium & Mastalonem censet Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. cap. XXXII. num. IV. col. 282. (*a*), ubi

(*a*) Ibidem Rubeus memorat a D. Gregorio scriptas ad eosdem Epistolas Lib. V. num. 46. & 47. Indict. XIII. idest anno 595., quibus eorum zelum pro Ecclesiæ unitate maxime commendat, illosque vehementer urget, ne operis arduitate a procuranda *Histricorum* reversione deterreantur, titulo *Magnitudinis* Basilium exornans, ejusque filios laudans, Mastalonis quoque socium nominans Theodosium *boni cooperatorem studii*, cum eoque *in solicitudine lucrandarum animarum solerter invigilantem*. Refert quoque Rubeus eodem anno datam Epistolam I.I. ejusdem Libri *Petro & Providentio* (sive Prudentio) Historiæ Episcopis, qui Candidiano Catholico consensere. Item Episto-

ubi etiam verisimile putat cum Bollando ad diem V. Febr. in Vita S. Ingenuini Sabionensis in Rhætia secunda §. V. num. 33. eundem Antistitem, quem Sanctorum fastis adscriptum colit Ecclesia, ad Theodolindæ exemplum, *dedisse veritati manus, cum esset cæteroqui vir bonus, & misericordiæ operibus deditus* (a). Notatque num. III. Gregorii Opera non solum non secessisse ab unitate Theodolindam ac Secundinum, sed etiam tandem Synodo V. ac damnationi acquievisse, idque a Viris doctis colligi ex Epistola ad Theodolindam ipsam, quam paulo ante laudavimus. Quod autem communione catholica potiretur Longobardorum Regina, quamlibet ut tam cito Synodum V. reciperet, induci nequiverit, quodve itidem Secundinus vir eximius, ac Reginæ ipsi apprime carus, nusquam Schismaticus fuerit, evincit Rubeus in iisdem Monum. Eccl. Aquil. cap. XXII. sub num. III. col. 202. ex Libro IV. Epist. S. Gregor. Epistola tricesima nona, ac duodecima. Adeo falsum est, quod ex Bollando adseverat Roschmannus pag.

67.

Epistolas ejusdem Gregorii duas Indict. XIV. ann. 596. Lib. VI. num. 19. & 41. ad *Cyprianum Diaconum* & *Leonem Episcopum Fanensem*, quibus commendatur eisdem *Joannes* quidam *Religiosus, ex Histricorum schismate ad sinum Sanctæ Ecclesiæ, Deo revelante, accepta ratione reversus*. Nec non Epistolam scriptam Indict. V. ann. 602. Lib. XII. num. 33. ad *Firminum Episcopum Histriæ*, Tergestinæ Civitatis Antistitem, cujus acceptis literis gratulatorias humanissimas reddidit Pontifex, *quod revocatus esset divina gratia ad unitatem Ecclesiæ* &c. Ex quibus omnibus haud verisimilitudine caret, quod Ingenuinum quoque expugnaverit Gregorii caritas, qua & errantes ad se revocabat, & revertentes complectebatur. Unde quod ait Rubeus cap. XXXIII. num. 2. *neminem illorum, qui degebant in Longobardorum ditione a schismate hoc tempore revocatum, ac quatuor ad summum Episcopos Istriæ ad Ecclesiæ unitatem venisse*, intelligendum de iis, quorum conversio certo scitur, constatque indubie, non de illis, quorum resipiscentia prudenter conjicitur. Præterquam quod, cum juxta Adversarios Ingenuinus neque fuerit Episcopus Longobardorum, neque Istriorum, modo relata Rubei verba Ingenuinum ipsum neutiquam tangunt.

(a) Concordant alii Scriptores Aste, de quo supra ab init., Norisius, de quo infra, Pagius, Schmidt de SS. Tyrol. &c. quibus novissime accedit in Litteris quam humanissime ad me datis ex Veron. 12. Decemb. 1749. Scipio Marchio Maffejus, paucis rem totam de more perstringens & absolvens, hisce verbis: *Non c'è tanto da poter affermare con sicurezza, ma c'è da potere con buona ragionevolezza congetturare, che prima di morire si ravvedesse, Martirologj, Diplomi, Scrittori* &c. Quod si dixeris nihil commune Theodolindæ Longobardorum Reginæ fuisse cum Ingenuino, cum hujus Diœcesis Longobardorum imperio nequaquam subesset; facile refelleris: namque dato etiam, quod tunc Sabiona minime Longobardis pareret, sed Bojis; splendidissimum exemplum Theodolindæ, utpote Bojo sanguine claræ, satis poterat ad Episcopi in Bajoaria degentis resipiscentiam conferre.

67. *Theodolindam studio S. Gregorii ad Catholicorum communionem fuisse revocatam*, cum hac semper gavisa fuerit, tametsi non semper damnationem trium Capitulorum in Synodo V. latam ipsa ratam habuerit.

LVII. Cæterum quod de Ingenuini resipiscentia sentiunt Bollandus ac Rubeus, idipsum quoque de aliis Schismaticis Episcopis alii præclari Viri conjectant. Unus instar omnium sit Ludovicus Thomassinus suo sat nomine ac fama celebris De Veteri & Nova Ecclesiæ Disciplina Part. I. Lib. I. cap. XXI. num. VI. pag. mihi 68. ubi de reditu loquens Schismaticorum ad Ecclesiæ unitatem, posteaquam Severus, qui Paulinum ac Heliam exceperat, una cum tribus Episcopis e Grado Insula Ravennam abductus a Smaragdo Exarcho Ravennate Schisma trium Capitulorum ejurare coactus est, monet quidem ejuscemodi ejurationem, utpote per vim extortam, effectu caruisse; subjicit tamen eam in caussa fuisse, cur plures Schismatis conflati fautores ad Ecclesiæ gremium tandem reverterentur: „ Episcopos tamen „ (ait) Schismaticos complures erroris tandem sui pertæsum „ est. Itaque ad unitatem rediere Ecclesiæ Episcopi Utinensis, „ Tridentinus, Veronensis, Vicentinus, Tarvisiensis, Feltrinus, „ Bellunensis, Polanus, & nonnulli alii. Tres tantum, aut „ quatuor relapsi in schisma Patriarchæ pertinacissime adhæse- „ re &c. „

LVIII. Hunc Schismaticorum ad Ecclesiæ communionem reditum ex pluribus conjectare licet. Tum quia difficile creditu est, præclarissimæ Theodolindæ, de re Ecclesiæ multis nominibus optime meritæ, cujus memoriam nullo unquam tempore ulla obliterabit oblivio, luculentissimum exemplum nihil profuisse ad Schismaticos ad Ecclesiæ unitatem postliminio revocandos. Tum quia arduum itidem captu est, Secundini Tridentini Sanctitatem impense a Magno Gregorio commendatam, litteras lacte ac melle manantes ad ipsum ab eodem Gregorio datas, munera sacra ad ipsum transmissa, exemplar quintæ Synodi, Chalchedonensi nihil adversæ, sed oppido consentaneæ, ad eundem directum &c. nihil ad id contulisse, ut ut hæc omnia Sanctissimus ille Pontifex magnopere profutura speraret. Tum quia exemplum quoque eorum, quos certo constat a Schismaticis defluxisse, non potuit aliorum plurium resipiscentiam non promovere. Tum quia Ingenuini Sabionensis, ac Agnelli Tridentini Opera Sanctissima, pro redemptione captivorum perpetrata, minime sinunt eos in eorum censum venire Schismaticorum, quos

per-

perversos homines, Ecclesiasticam disciplinam fugientes, fidei nescios, neque in fide rectos, neque bonis operibus intentos, quotidie deteriores, imperitos, & stultos, maligni spiritus instigatione persuasos, malitiosæ mentis, ignorantiæ, cæcitatis &c. Magnus idem Gregorius vocitat Lib. 7. Epist. 53. ad Secundinum, Lib. 3. Epist. 4. ad Theod. Item 33. ac Lib. 5. Epist. 2. Lib. 7. Epist. 5. Tum quia cum post S. Ingenuinum Diœcesis Sabionensis sive Brixinensis adpellitari cœperit de Provincia Istriæ, uti patet ex Concilio Remensi anno 1049. celebrato apud Harduinum Tom. 6. satis liquet, eam potius Gradensibus Metropolitis Catholicis, quam Schismaticis Aquilejensibus adhæsisse. Tum quia nullibi legere est, Ingenuinum & Agnellum post se reliquisse successores, qui Schismati faverint. Tum quia alias eorum nonnulli cum sanctitatis fama minime decessissent, cum extra unitatem Ecclesiæ bona opera nihil prosint. „ Necesse est (inquit cit. in Epist. ad Secundinum „ Tridentinum Gregorius) ut dulcissima mihi tua dilectio in „ hoc quod præcipue in bonis moribus vivit, quod se per abstinentiam affligit, quod doctrinæ Dei vehementius insistit, „ hoc studiosius cogitet, ne errorem Schismaticorum sequens a „ sancta universali Ecclesia divisa possit inveniri. Ut quid tot „ labores proderunt, si in unitate fidei inventa non fuerint, „ quæ ante Dei omnipotentis oculos in bonis actionibus animam præcipue custodit? „

LIX. Haud eo inficias, has aliasque id genus plures conjecturas contrariis haud difficile elidi posse, nullumque certum proferri posse testimonium de Ingenuini reditu ad Ecclesiæ unitatem. Ast sicut nullum certum habetur de ingenuini resipiscentia testimonium; ita quoque nullum extat de ejus obfirmato in Schismate animo ad obitum usque: quin imo ipsum a Schismate ante mortem recessisse ex antiquissimo post mortem cultu eidem constanter delato satis luculenter colligimus. Sicut enim traditione ac consuetudine accepimus ejus sanctitatem, ita quoque resipiscentiam; nec satis est ad infirmandam constantem sanctitatis famam, vaga illa, negantia, & generalia argumenta congerere, nimirum nullius fidei esse traditiones populares, ac per eas facile patere aditum figmentis ac superstitioni, nullum haberi antiquum testimonium de ejurato ab Ingenuino Schismate, Martyrologiis ac Breviariis fabulas multas insertas &c. Quippe ut sapienter differit Honoratus a S. Maria Animad. in Reg. & usum Critices Differt. VII. pag. mihi 632. ad calcem Tom. I. „ Cum Ecclesia Episcopi, &, si placet, populus ipse in cogno-

„ scen-

„ scendarum consuetudinum & factorum historicorum possessio-
„ ne a sæculis multis consistant, non sufficere, ut refellantur,
„ argumenta negantia, vaga, & generalia, quemadmodum sunt
„ modo memorata, congerere; sed necessum esse, Auctorum
„ fide dignorum testimonium ajens atque disertum præsto habe-
„ re, quod illa explodat, sive illorum falsitatem aperiat: aut
„ momentis opus esse firmis adeo, & propositum efficientibus,
„ ut sapientem & prudentem hominem cogere possint ad Tra-
„ ditiones & consuetudines istas contemnendas &c. „

LX. Ego sane minime tutum putarim, quin imo religioni duxerim inficiari D. Ingenuini sanctitatem, eamque a longa ac pacifica multorum sæculorum possessione deturbare, qua hactenus nedum in Sabionensi, ac postea in Brixinensi, tum etiam in Bellunensi & Curiensi Diœcesi, verum etiam in universa Ecclesia, hactenus gavisa est. Equidem cum famigeratissimum fuerit notissimumque trium Capitulorum Schisma, post semel statutam ubique passim cum Ecclesia Catholica unionem, si Ingenuinus in Schismate obfirmatus decessisset, num Christi fideles ausi fuissent ullum eidem cultum exhibere? Profecto aliorum Schismaticæ Provinciæ Episcoporum, ut ante obitum satis probabiliter facti pœnitentium, atque ad melioris vitæ frugem conversorum, nullum videre est celebrari Officium, altare nullum ipsis erectum, nullumque religiosi cultus, quod ego quidem sciam, in Romano Martyrologio vestigium, Ingenuino unice excepto. Cumque jugis ejus memoria Nonis Februarii in eodem Romano Martyrologio adhuc maneat post totuplices correctiones, & examina multiplicia, quibus egregiam navavit operam ipse magnus Baronius in Historia Aquilejensis Schismatis oppido versatus; an non operam ludit, qui rebus adeo antiquis atque ab ævo nostro remotis in dubium revocandis incumbit, quum de iis haberi nequeant nisi puræ putæque conjecturæ prorsus impares ad præfatam immemorabilem possessionem omnino dejiciendam? Quis nesciat huic immemorabili cultus religiosi possessioni ipsam Romanam Sedem etiam atque etiam deferre, adeo ut vel in Decretis de Apotheosi Sanctorum sive, ut ajunt, *de Beatificatione* & *Canonizatione* minime tangatur immemorabilis cultus ab universa Ecclesia seu adprobatus, seu toleratus, ac nequidem reprobari consueverit ipse privatarum Diœcesium cultus, si centenariam ætatem exegerit? Nonne Generalis Congregatio S. R. & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Vaticano coram S. D. Urbano VIII. ac S. R. E. Cardinalibus *animadvertens*

abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant in colendis quibusdam, cum sanctitatis aut martyrii fama, vel opinione, defunctis, ita statuit & decrevit, ne quorumvis hominum, cum sanctitatis seu martyrii fama (quantacumque illa sit) defunctorum Imagines, & quodcumque aliud venerationem & cultum praeferens & indicans, in Oratoriis, aut locis publicis, seu privatis, vel Ecclesiis, apponantur, ut tamen declararit, *per supradicta praejudicare, in aliquo non velle, neque intendere iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum Virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii, coluntur*; ut habet Constit. edit. an. D. 1625.? Ad quid, rogo, ejuscemodi adversus veterem sanctorum cultum molimina inserviunt nisi ad ciendas turbas, ac sub obtentu superstitionis vitandae ad veram devotionem e medio tollendam? Fateor iterum iterumque nullum produci posse certum de Ingenuini resipiscentia ac reditu ad Ecclesiae unitatem monumentum. Ast quot eventa vere in privatis Dioecesibus acciderunt, quae litteris mandata non sunt? Quot fortuitis incendiis conflagrarunt, quae posterorum memoriae prodita erant? Quot ex sola traditione discuntur? Quis sciret Istrianum Episcopum in Sicilia ob damnata tria Capitula exulem, ac Capritanae sive Caprulensis Insulae in intimo Maris Adriatici recessu, non longe a littore Provinciae Forojulensis, indigenas ad Ecclesiae unitatem reversos, ni forte horum D. Gregorius in suis Epistolis meminisset? Mihi pro monumentis centum satis est cultus ille immemorabilis Ingenuino constanter delatus, ac, nusquam Ecclesia Dei adversus illum reclamante, exhibitus, quem nunquam crediderim ex uno Pauli Diaconi palmari errore duntaxat invectum, nisi in animum finxerim meum, ipsum potuisse universae Ecclesiae, vel post caussam postremo finitam ultimoque eliquatam, imponere, eamque ad superstitiosissimum Schismatici Antistitis in errore semel imbibito quam pertinacissimi cultum, omnium pudendissima prolapsione, valuisse pertrahere.

LXI. Neque saepius memoratae Sabionensis primi Praesulis resipiscentiae, poenitentiae, ac etiam sanctitati officit, quod Bedae Chronicon, ac Paulus Diaconus L. 6. Hist. Longobard. c. 14. testantur, Schisma Aquilejense usque ad Sergii I. tempora, qui anno 687. Summum Pontificatum conscendit, perdurasse. Sicut enim hoc non tollit, quin Maximus & Agatho, qui se *Aquilejensis Ecclesiae* nuncupaverunt *Episcopos*, primus quidem in Synodo Lateranensi sub S. Martino Papa celebrata an. 649.,

secun-

secundus autem in Romana sub S. Agathone coacta an. 679. ; amplexati fuerint V. Synodum, eamque tanquam sanctam laudaverint: ita quoque non obest, quin plures Catholicos asseclas passim habuerint. Siquidem Aquilejæ Metropolis, quæ tunc una erat, referente Joanne Diacono in Vit. Greg. Magn. L.4. c.38. non uno Capite Sschismatico regebatur, sed gemino, altero Catholico in Insula Grado nova Aquileja degente, altero Schismatico in Veteri Aquileja commorante; utroque se pro Aquilejensi gerente, sibi jura in totam Metropolim vindicante, atque ad suam sequelam alios plures pertrahente. „ Prædicti Antistites „ (inquit de Gradensibus Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. cap. „ XXXV. num. V. col. 308.) Gradensem Ecclesiam dum rege- „ rent, sibique in communione Catholica adhærentes haberent „ Provinciæ Istriæ Episcopos, ac Venetiæ nonnullos, schisma re- „ tinebant Aquilejenses &c. „ Scribit quoque Rubeus in citat. Monum. cap. XXXIV. num. IV. col. 300. „ Plerosque aut om- „ nes Istriæ Episcopos & aliquos etiam Venetiæ, Honorii Pon- „ tificis optimi studio & solicitudine ad unitatem Ecclesiæ re- „ vocatos „. Porro Honorius Pontificatum adeptus est an. 625. qui Fortunato schismatico pulso Catholicum Primogenium illi substituendum curavit, sacro pallii ornamento insignitum. Quinimo jam ab an. 607. Candidianum Catholicum in Insula Grado electum fuisse constat. Vid. Rub. col. 297. & seq. De Episcopis etiam ante Sergii tempora ad Ecclesiæ unitatem reversis videri quoque potest Natal. Alex. Hist. Eccl. sæc. VI. cap. III. §. III.

LXII. Profecto si verba ipsa Bedæ & Pauli penitius introspiciantur, ex iis quidem conficitur duntaxat, Sergii Summi Pontificis opera desiisse penitus omnem circa trium Capitulorum damnationem controversiam sive hæsitationem; non vero quod ante ipsum omnes Aquilejensis olim scissuræ Præsules ita obduruerint in Shismate, ut nullus eorum animum obfirmatum abjecerit. Verba Bedæ Chronici, quæ exscripsit Paulus Diaconus L. 6. Hist. Longobard. c. 14. sunt: *Hoc tempore Synodus Aquilejæ facta, ob imperitiam fidei, quintum universale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus Beati Papæ Sergii monitis instructa, & ipsa cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consentit*. Animadvertenda enim est ratio loquendi hæc: *suscipere diffidit*, quæ non obstinatum, ut ante, animum contra indicat, verum hæsitantiæ nubeculas forte ab aliquibus, qui intererant, ibidem excitatas, ne quinta Synodus accepta fidei officeret. Nam & illa dicendi formula *propter imperitiam fidei*, non accusantis Episcopos, ut puto,

 Scri-

Scriptoris est, sed potius defendentis. Quasi diceret, eos adlegasse, nescire se, an fides cum illa Synodo probe consentiret, donec plane rem explanante Sergio, tum hæsitatio denique omnis conquievit. Quibus animadversis, jam adparet, Synodum, de qua sic Beda Paulusque loquuti sunt, haud videri intelligendam, uti vult Norisius (*a*), a Paulino Aquilejensi celebratam quam qui-

---

(*a*) Bollandus ad diem octavam Februarii in Not. ad Vit. S. Honorati §. 2. Baronium perstringit, qui Synodum, cujus meminit Beda, ac post Bedam Paulus, ad annos Imperii Tiberii Absimaris, qui versus finem sæculi septimi imperare cœpit, cum illa confuderit, quæ sub Pelagio primo post medium sæculum sextum habita fuit. Difficile quippe Bollando visum, a Sergio Papa illam Synudum corrigi, quæ fuerat ante centum quinquagiuta & ampliua annos coacta. Falli quidem Bollandum autumat Norisius Disser. Hist. de quint. Syuod. cap. IX. §. I. pag. mihi 43. dum Sergio Pontifice Aquilejensium Synodum de V. Concilio dubitasse putat. Inquit enim „ sub S. Agathone Papa, qui quinque „ tantum annis ante Sergium Pontifi- „ catus ac vitæ finem fecit, in Syno- „ do Romana adsuere cum Agathone „ Patriarca Aquilejensi cæteri suffraga- „ nei, ac litteras subscripsere, in qui- „ bus hæc habentur. *Hoc idem etiam & „ sancta Synodus, quæ sub augustæ me- „ moriæ Justiniano Principe in Constan- „ tinopoli congregata est in septimo defi- „ nitionum capitulo prædicat*. Quare „ jam ante Sergium Episcopi Veneti at- „ que Istri cum Metropolita Aquilejensi „ Synodum V. receperant, neque contra „ eandem suam Synodum postea coegisse „ dicendi sunt. Eorum nomina haben- „ tur Actione 4. Synodi VI. Forte Ser- „ gius ad Aquilejensem Antistitem lit- „ teras dedit, queis Schisma a nonnullis „ adhuc radicatum evelleret; at non ex „ Episcopis illi erant, sed e plebe &c. „ Verum enim vero quis credat de plebe Viros adhæsisse adbue Schismati, posteaquam Episcopi omnes ab illo discesserant? An non Schisma plebis soli fovebant Episcopi, facilinsque magno Gregorio fuit ad Ecclesiæ unitatem reducere, ac in communione semel facta servare, Capritanæ Insulæ plebem, quam ejus Episcopum? Legatur S. Pontifex L. 7. Epist. XCIX. habitatoribus Capreæ insulæ inscripta, ac de Episcopo Catholico eis constituendo agente. Supra vero occupavimus Norisii rationem, dum ex Rubeo animadvertimus, quod, dum Ecclesiam Gradensem regeret Agatho, dictus Aquilejensis ex illuc translata Sede, cum reapse Metropolita Gradensis esset, sub se habena Provinciæ Istriæ Episcopos, ac Venetiæ nonnullos, a Schismate nondum penitus recesserant Aquilejenses, ut qui adhuc quibusdam circa quintam Synodum recipiendam dubitationibus laborabant, quas prorsus illis Sergius ademit. Repetantur hactenus dicta, ac legatur idem quoque Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. ad calcem cap. XXIV. ubi Synodum, cujus mentionem facit Beda, & in qua Episcopi *fidei* solum *imperiti* producuntur, iique *diffidentes* duntaxat dicuntur num *suscipere quintum universale Concilium deberent*, rite distinguit a Paulini ejusque Collegarum Synodo, ut qui nedum imperiti fide, sed contumaces Romanæ Sedis & aliorum, quæ Capitula damnaverant, contemptores fuerant, & non solum quintum universale Concilium suscipere diffiderant, sed quintum Ipsum generale Concilium *dijudicare* (quod nunquam licuit) ausi fuerant. Videatur quoque idem Rubeus cap. XXXVI. ubi addit, cogitari se scribi minime posse Sergii Papæ monitis instrui potuisse Synodum a Paulino congregatam, utpote sæculo integro ac rursus fere dimidio anteriorem; mirumque

quidem, fuisset omnino dicendum, minime *esse diffisam*, verum *obstitisse*, neque *imperitiam habuisse fidei*, hoc est Bedæ stylo, nondum perdoctam, esse nihil in Quinta Synodo contrarium Calchedonensi, sed obstinate confirmasse, inter Synodos Quintam & Calchedonensem concordiam esse nullam posse. Haud ineleganter Anastasius in Sergio utrumque, nimirum & *diffidentiam* Bedæ illam & *imperitiam*, sic extulit: *errantes suscipere diffidebant*. Quorum diffidentium, inquam, si quis argumentetur fuisse postea ex olim Schismaticis plures, is mihi sane videatur non læva rationem suam inire minerva.

LXIII. Item si adhibenda fides auctoritati cujusdam veteris monumenti apud Georgium Pillonum in Historia Bellunensi (*a*): satis constat, jam ante Sergium Sabionensem Ecclesiam Aquilejensi Schismati nuncium misisse. Adfert enim ibi Pillonus Episcoporum subscriptiones, qui Synodo Papæ Agathonis interfuere, ejusque Synodicam subsignavere. In his *Sabionensis qui & Vicentinus*. Quam quidem lectionem Barbaranus Ecclesiasticæ Vicentinæ Historiæ Scriptor, ratam habuit, in Catalogo quodam Episcoporum suo manuscripto, quem se vidisse mihi

rumque plane videri, Bedam commemorantem Synodum *Aquilejæ* Sergii Papæ monitis instructam, ac *cum cæteris Christi Ecclesiis* quintam Synodum acceptantem, intelligi potuisse de aliquibus solum e plebe, quos Pontificis monita adhuc diffidentes ad rectam fidem pertraxerint; atque ex Anastasii verbis dilucide probat, non aliquos de plebe, sed Metropolitam ipsum Aquilejensem una cum suis Asseclis, Sergii studio ac opera, tandem aliquando, fugato errore, quintam Synodum adprobasse.

(*a*) Hæc apud Georg. Pillon. lego verba L. 2. pag. mihi 54. *L'anno 680. fu in Roma celebrato nella Chiesa Laterana un Concilio dalli Episcopi Occidentali, sendo Pontefice Agatone, per mandar il voto loro al General Concilio, che si doveva in Costantinopoli celebrare, non essendo a tutti comodo a personalmente ritrovarsi a quello tanto lontano. A questo fu presente l'Episcopo Bellunese, e pose il suo assenso in scrittura, come si legge nelli Atti del Concilio con tali parole*: Episcopi qui Concilium approbarunt &c. Aquilejensis, & hujus suffraganei videlicet Polensis, Parentinus, Cenetensis, Vigiensis, Tergestinos, Opiterginus, Paduanus, Altinensis, Sabionensis, qui & Vicentinus, Tarvisinus, Feltrensis, Sacilianus, Bellunensis, & Juliensis. Qua ex Epitome Concil. VI. OEcum. Constantinopoli adversos Monothelitas an. 680. celebrati id traxerit Pillonus, prorsus ignoro; hoc quidem scio Acta integra ejusdem Concilii sive Græca, sive Latina, omnium, quæ Pilloni Epitome recitat, Præsulum nomina neutiquam continere. Ex Pilloni tamen Monumento, qualiscumque demum auctoritatis sit, id erui posse autumo, Episcopos in eo recensitos omnes jam ab Aquilejensi Schismate recessisse; aliaa qua veri specie, quave fronte Concilii VI. OEcumenici Epitomator illos inter apprime orthodoxos Præsules retulisset?

mihi testatus est vir quidam præclarissimus, de quo infra sermo redibit: qui insuper certiorem me reddidit, non adeo Barbarani esse illum, quem dixi, Catalogum Episcoporum, atque Josephi Gualdi, viri tempestate illa eruditissimi, & ejusmodi studiorum peritissimi, quo Barbaranus plurimum utebatur, cujusque ex fontibus haud raro suas areolas irrigavit: atque non aliunde quam ex his hausisse quoque Ughellum, quæ memorat de Episc. Vicent. col. 1031., nimirum Concilio Romano interfuisse quendam Episcopum Vicentinum, eumque etiam vocatum *Sablonensem* sive *Sabionensem*. Quomodo autem hæc verba seu Gualdus, sive Barbaranus, potissimum acceperint, incompertum est mihi: nisi quod haud potuisse videntur aliter, quam ut Antistitem Sabionensem intelligerent ab ea Rhæticæ secundæ Ecclesia translatum ad Vicentinam in Venetia, cujus translationis inter præcipuas caussas cum Ecclesiæ utilitas censeretur, ac hujusmodi translationes, ut regula vult, *judicio plurimorum Episcoporum essent adprobandæ*, poterat ea res argumentum haberi virtutis, adeoque minime inter honoris titulos prætermittenda. Nisi quis dicere malit, quod hic inscribatur *Sabionensis qui & Vicentinus*, eo sensu quo videmus in consimilibus Catalogis Ecclesiæ cujuspiam Episcopum dici, ac *vices agere* præterea etiam alterius Episcopi, aut *locum facere*, aut, sicut alicubi apud Anastasium legimus, *locum alterius præsentare*. Quod si Sabionensis Præsul, præter Ecclesiæ suæ personam, etiam Vicentinæ vices repræsentaverit, profecto non erat, cur non vocitaretur: *Sabionensis qui & Vicentinus*. Eoque magis ea ratio potest commendari, quod non uni Episcopi convenere in illud Agathonis Concilium, non modo *pro sua Civitate*, sed *pro sua Provincia*, verum etiam quidam universalium Synodorum Provincialium Legati, ut Mediolanensis & Gallicanæ. Quapropter minime sit mirandum, si, quacumque tandem ex caussa, partes Ecclesiæ Vicentinæ commissæ tunc Episcopo fuerint, qui propterea suum nomen ita potissimum arbitraretur consignandum: *Sabionensis qui & Vicentinus*. Quid autem si tum Sedes Vicentinæ Ecclesiæ, fortasse vacaverit? Et Majores, scilicet Presbyteri & Diaconi, ut Veteribus loqui solitum, Cardinales hanc ob caussam opus habuerint, aut arbitrati ex communi utilitate fuerint, Ecclesiæ personam Sabionensi committere? Denique non desiit, cui succurrat, sin minus tunc Vicentina Sedes vacaverit, saltem ejus Episcopum forte fuisse aut annis gravem, aut infirmitate detentum, adeoque necessitate coactum, ut alter, puta Sabionensis, ejusdem

dem vices ageret. Ut ut de hoc fuerit (*a*) cum præfatam apud Pillonum lectionem minime præferant Acta integra VI. Concil. ŒCum.

(*a*) Integra Lectio sequentes suffraganeorum Agathonis Aquilejensis seu potius Gradensis subscriptiones habet, juxta versionem Latinam. „ Cyriacus „ Episcopus sanctæ Ecclesiæ Polensis „ Provinciæ Istriæ &c. Aurelianus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Parentinæ Provinciæ Istriæ &c. Ursinus Episcopus „ sanctæ Ecclesiæ Cenetensis Provinciæ „ Istriæ &c. Andreas Episcopus sanctæ „ Ecclesiæ Vejentanæ (in græco textu „ Celejanæ, alii omnino legendum volunt Veglentanæ) Provinciæ Istriæ „ &c. Gaudentius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Tergestinæ Provinciæ Istriæ „ &c. Benenatus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Opitergensis Provinciæ Istriæ „ &c. Ursinianus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Paduanæ Provinciæ Istriæ &c. „ Paulus Episcopus sanctæ Ecclesiæ „ (in Græco) Altinensis Provinciæ „ Istriæ &c. „ Ita legere est in Labb. Concil. Collect. Act. IV. Concil. VI. ŒEcum. in qua Epistolæ *ipsius Agathonis Papæ & Romanæ Synodi, quæ fuit velut instructio Legatorum, qui missi sunt ad Synodum sextam celebrandam*, subscriptus legitur *Agatho Episcopus sanctæ Ecclesiæ Aquilejensis Provinciæ Istriæ &c.* Nota primo, lectionem sive Græcam, sive Latinam, præfatorum suffraganeorum subscriptiones exhibentem suis non carere plerisque mendis, ut pridem animadvertunt eruditi Viri, adeoque Lectionem Pilloni anam, unde unde demum derivata fuerit, non esse penitus repudiandam, ut quæ aliquid lucis illustrandæ germanæ lectioni potest adfundere. Nota secundo, Norisium Differt. Hist. de Syn. Quint. cap IX. §. VI. pag. mihi 61. Sequentes recensere subscriptos Aquilejensis sive Gradensis Metropolitæ suffraganeos, nempe *Cyriacum Polensem, Aurelianum Parentinum, Ursinum Cenetensem, Andream Veglienssem, Gaudentium Tergestinum, Benenatum Opiterginum, Ursinianum Lucianum alias Petenensem, Paulum Patavinum, & Paulum Altinatem*. Unde rursus colligit ante Sergium Ecclesiam Aquilejensem, & suffraganeos Episcopos, non modo ad Ecclesiam Romanam accessisse, verum etiam Synodum V. pleno ore laudasse, decessorumque errorem diuturnamque pervicaciam fuisse aversatos, ac nonnullis duntaxat, non illis quidem Episcopis, sed e plebe adhuc ea de re hæsitantibus Sergium verum dogma declarasse. Sed jam diximus, quosdam etiam ex Episcopis non quidem Gradensi, cujusmodi erat Agatho, sed Aquilejensi Metropolitæ subjectis, adhuc circa quintam Synodum hæsitasse, nec nisi per Sergium fuisse penitus catholicam veritatem edoctos. Nota tertio, etiam ab Harduino subscriptum cum cæteris memorari *Patavinæ Ecclesiæ* Episcopum. Nota ultimo, Lateranensi quoque Concilio an. 649. non interfuisse unum Maximum Metropolitam Gradensem, sed una cum ipso illi etiam adfuisse *Petentium Polensem* num. 99. in eodem recensitum, apud quem cum num. 98. nominetur *Joannes Vico-Sabionates*, in qua Lectione Eruditi haud desunt qui autumant errorem latere; nescio an *Sabionates* pro *Sabinate* legendum. Quamvis enim soli inibi enumerentur Episcopi Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ, concedaturque gratis Sabionam tunc non Italiæ, sed Bajoariæ Provinciæ in temporalibus paruisse, parebat suberatque tamen Italiæ in spiritualibus, atque spectabat ad Metropolitam Istrianum, ac duntaxat sub Alimo ab Istriano Metropolita discessit, transiit ad Bajoariorum Archiepiscopum, uti patescit ex Synodo Dingolfingana ann. 772. celebrata, & apud Canisium recitata, cui interfuit Alimus Sedis Sabionensis Antistes. Quinimo adhuc serius sub Provincia *Istriæ* ipsa Sabiona audiit, uti legere est in Concilio Remensi, anno 1049. coacto apud Harduinum Tom. 6. in quo *Brixenorum* Episcopus

OEcum. sive grece scripta, sive Latine reddita, prælaudatæ Romanæ Synodo sub Agathone Papa celebratæ certius inter cæteros invenio sequentes Aquilejensis sive Gradensis Metropolitæ suffraganeos, quorum Civitates in Venetia extabant, nempe *Vosinum Cenetensem*, *Benenatum Opitergensem*, *Ursinianum* sive *Paulum Paduanum*, ac *Paulum Altinensem* (*a*). Ex quibus subscriptionibus nedum licet conjicere reditum a Schismate ad Ecclesiæ unitatem facile potuisse propagari ab Episcopatu Opitergensi & Cenetensi ad Bellunensem & Sabionensem conterminos, atque a Patavino ad Vicentinum & Tridentinum similiter finitimos, verum etiam conjectari ulterius potest, jam ante subscriptorum in Romana Synodo Gradensis Metropolitæ suffraganeorum Ecclesias pro unitate contra Schisma stetisse, ac obsuisse nihil Longobardorum Reges, queis terrestris Venetia magna saltem ex parte parebat, teste Dandulo L. 6. c. 7. Par. 17., quominus ipsi, Ecclesiæ unitati, relicto Schismate, adhærere potuerint, tametsi præmemorati Antistites in ea versarentur Venetiæ parte terrestri, quam Longobardi vocare cœperant *Longobardiam*. Atque hinc intelligimus, Joannem Diaconum vere de S. Gregorio Romano scripsisse præcit. L. 3. cap. I. quod *Venetos aliosque a Schismate ad unitatem Sanctæ Ecclesiæ revocarat*.

LXIV.

scopus nuucupatur de *Provincia Istria*. Et sane nomen Joannis Sabionatis Præsulis recitatur ab Anonymo Mabillonian post Ingenuinum & Mastulonem tertius, quem quartus excipit Alimus hoc videlicet ordine.

Hæc Sedes Vallis Noricanæ dicta Sebana,
Ingenuinus habens primo quam rexerat almus.
Mastulo secundus seditque regendo cathedram.
Post illum Pastor servavit Ovile *Joannes*.
Præsul *Alimus* erat meritis qui & dogmate quartus &c.

Nihilo tamen secius de hoc adfirmate pronunciate minime ausim, quia forte nec *Vico-Sabin.* nec *Vico-Sabion.* neque *Vico-seban.* legendum est, sed *Vico-haben.* nomine ducto a *Vico-habentia* postea *Ferraria*. De qua apud Leandrum Albertum in Descript. Ital. pag. mihi 283. *Nel seicento cinquanta otto (secondo alcune Croniche) fu molto allargato questo luogo, e fatto Città da Vitaliano Papa ne' tempi di Costante Secondo figliuolo di Heraclio Imperadore, esso Imperadore Costante concedendo, e trasferendo il Vescovato di Voghenza destrutta, detta prima* Vicohabentia, *nella detta nuova Città, suffraganea della Metropolitana Ravennate Sedia, siccome prima era essa* Vicohabentia, *come appare per li monumenti della detta magna Chiesa di Ravenna, a me mostrati da Giovan Pietro Perreto diligentissimo Scrittore, e vestigatore degli Annali antichi della sua Patria &c.* Legesis March. Massejum Veron. Illustr. L. XI. a col. 339. nec non Inscript. LXVI. col. 367.

(*a*) Tametsi non desint rationes ostendentes mendum irrepsisse in illam Lectionem, non desunt tamen ibidem e contrario bonæ notæ Codices, qui illam retinendam comprobant, aut saltem non omnino repudiandam docent.

LXIV. Quorsum hæc, inquies, longius petita, prolixiusque congesta, cum aliunde notum compertumque sit, in Hispaniis, & Galliis, aliisque fere Provinciis, quæ Græco Imperatori non suberant, non nisi tardius, ejurato errore, damnationis trium Capitulorum Decretum fuisse acceptatum; quemadmodum de Hispaniis argumentis meridiana luce clariroibus Henricus Norisius S. R. E. Card. si quis alius sapientissimus in Differt. Histor. de Synodo V. cap. 9. ∫. 2. ac de Gallicanis Ecclesiis Auctor Appendicis ad Opera Leonis Magni, commonstrant. Verum enim vero sicut certum exploratumque est, Hispanos, Gallos &c. non abstinuisse a communione eorum, qui nigrum theta jure ac merito a Synodo V. tribus Capitulis præfixum censebant, ac nusquam ab Ecclesiæ centro ac supremo ejusdem Hierarcha fuisse divulsos, ita indubitatum est, fuisse exemplo Aquilejensis Provinciæ Schismaticis, qui lineas omnes prætergressi secessionem ausu temerario fecerant, quatenus Ecclesiæ unitati reconciliari curarent. Cæterum vehementer dubitare quidem Norisium de resipiscentia Aquilejensium Metropolitarum, qui conflati schismatis præcipui incentores fuerant, neutiquam autem de Pœnitentia ac Sanctitate Ingenuini, manifestissimum fit ex iis, quæ tradit in eadem Differt. Hist. de Synodo Quinta Cap. IX. ∫. VI. ad calcem pag. mihi 62. Namque disertissime loquitur in hæc verba. „ Inter Schismaticos Episcopos, qui contra Apostolicam Se-
„ dem Pontificibus Pelagio II. & Gregorio Magno pro schismate
„ depugnarunt, fuit Ingenuinus Sabionensis Episcopus, qui pri-
„ mus libellum ad Mauricium contra Sancti Gregorii mandata
„ conscriptum signavit, & Apostolicæ Sedis judicium fugiens
„ profanum Imperatoris tribunal appellavit. Illius autem fe-
„ stum peragitur Brixinæ in Rhætia II. Unde dicendum est cum
„ Bollando illum resipuisse, & ad meliorem frugem reversum,
„ de quo pluribus agit ille Scriptor Tom. I. Febr. a pag. 669.
„ Historici Forojulienses tradunt, Schismaticos omnes Episco-
„ pos pie in Domino defunctos esse. De Severo Schismaticorum
„ pessimo scribit Palladius, ad annum 605. part. 1. Lib. 1. mor-
„ ti proximum errorem esse aversatum. Joannes Candidus Lib.
„ 3. Antiq. Aquil. ait *recta per annos XV. Ecclesia sanctissime ob-*
„ *iisse*. De Heliá ad annum 586. scribit Palladius, approbasse in
„ Synodo Concilium Constantinopolitanum, & diem in Domi-
„ no obiisse. Paulinum etiam Apostolicæ Sedi conciliatum *Beati*
„ titulo publice honorant, qui infandi Schismatis princeps fuit,
„ & a Pelagio Papa dictus est *in schismate maledictus*. Idem et-

,, iam referens Episcopos, qui Heliæ Synodo interfuere, *San-*
,, *ctos Patres* nuncupat, qui tamen contra Pelagium, & hujus
,, mandata exequentem Smaragdum, ad Mauricium litteras pro
,, Severo dedere. Enimvero si eorum supplex Libellus ad Im-
,, peratorem, vel Joannis Patriarchæ Epistola ad Agilulfum le-
,, gatur, summam iisdem insitam fuisse obstinationem intellige-
,, mus. In Libello supplici hæc scribunt: *Contriti atque luctu gra-*
,, *vissimo sauciati ad ultimam desperationem pervenimus, ut ad illius*
,, (nempe Gregorii Papæ) *judicium Metropolita noster teneretur*
,, *occurrere, cum quo causa ipsa esse dignoscitur, & cujus communio-*
,, *nem ab initio motionis causæ hujus usque nunc Decessores nostri, &*
,, *nos cum omni populo evitamus.* Si ante mortem Paulinus, & He-
,, lias Aquilejenses, Solacius Veronensis, aliique Schismatici
,, communioni Sedis Apostolicæ errore deposito sese junxissent,
,, næ illi vera Mauricio nunciassent? Præterea S. Gregorius
,, Episcopos illos depravatis moribus corruptos ex plurium con-
,, testatione fuisse affirmat Lib. 7. Epist. 67. Joannes vero Dia-
,, conus Lib. 4. de Vit. S. Greg. c. 38. de Severo ait, quod *ad*
,, *unitatem S. Ecclesiæ redire non meruit.* Quod si illorum quos-
,, dam ante mortem ab errore discessisse constet, ut de S. Inge-
,, nuino narravimus, de eorum pœnitentia nobis lætandum est.
,, Sed quinam ii fuerint, divinare non possumus, neque fas est
,, de divinis judiciis temere judicare.,, Hactenus Norisius, qui
etiam eo loci censet Theodolindæ exemplum plurimum contu-
lisse ad Schismaticos ad unitatem Ecclesiæ reducendos: ,, Mor-
,, tuo Longobardorum Rege Agilulpho (inquit ibidem pag. 61.
,, col. 1.) Theodolinda, Adolvaldo filio ob ætatem ad regnan-
,, dum nondum idoneo, Longobardos gubernavit, eximiæ qui-
,, dem & prudentiæ & pietatis fœmina. Illa autem accepta a
,, Gregorio quinta Synodo alieno a Schismaticis animo esse cœ-
,, perat, cum in illa Concilium Calchedonense, quod ad dog-
,, mata spectat, ex integro suscipi cognovisset. Quare cum Istriæ
,, Episcopi Firminus, Petrus, Providentius, aliique ad Roma-
,, nam Ecclesiam accessissent, eorum exemplo & Venetiæ Præ-
,, sules, qui subjectas Theodolindæ Diœceses regebant, paula-
,, tim a schismate discessere, solis Aquilejensibus in rebellione
,, perseverantibus.

LXV. Clam me non est, in ea esse opinione Norisium, Sanctitatis titulum nonnullis ex Schismaticis Episcopis adfictum profluxisse ex sinistra opinione Pauli Diaconi, qui schismatis Aquilejensis Historiam susdeque vertit, mutavitque prorsus qua-

drata rotundis. „ Hinc (ait ibi §. IV. pag. 54. col. 1.) deceptus „ Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus Lib. 3. de Vitis San„ ctorum cap. 86. Joannem Ravennatem *hæreticum*, Schismati„ cos vero *Sanctos Episcopos* nuncupavit. „ Ast errorem Pauli Diaconi haud peperisse Ingenuini Sabionensis cultum, vel inde patet, quod ejuscemodi cultum Ingenuino detulerint ii ipsi, qui aut a Pauli errore non videntur fuisse decepti, uti sunt S. Albuinus, B. Hartmannus, B. Eberhardus, Alexander IV., Richpertus &c. aut forte de Pauli Historia nihil sciere, uti sunt Henricus Sanctus, Conradus II., Henricus IV., Anonymus Mabillonianus &c. Cumque præfati cultus nesciatur initium, perperam ex errore illius Historiographi deduci videtur. Præsertim quia si tali cultui præbuisset ansam Pauli error, multo magis in caussa fuisset, ut Sanctorum Fastis adscripti fuissent Aquilejenses Metropolitæ Schismaticorum Choriphæi Paulinus, Helias, Severus &c. atque alii quoque ejusdem schismatis fautores Episcopi in Dei Ecclesia fuissent Ecclesiastico cultu honestati, ad quem tamen hactenus evehi minime potuere. Nec facile dicendum est in Ecclesiasticum cultum ab ipsa Romana Ecclesia adprobatum errorem irrepere, ni illum demonstraverint evidentia argumenta, quæ D. Ingenuini sanctitatem inficiantibus certe desunt, ac in dubio in meliorem partem ecclesiasticum cultum, maxime antiquissimum, interpretandum, nemo unus, qui recte sapiat, ignorat. Quod si fas fuerit antiquissimi cultus originem ex errore repetere, caussamque diu inolitæ deceptionis illi præstituere, conclamatum est de locupletissimo testimonio ab immemorabili cultu petito, quod magni semper in Christi Ecclesia factum est hactenus pro comprobanda servorum Dei sanctitate. Sicut porro ex immemorabili cultu Ingenuini Sanctitas constat, ita quoque ejusdem pœnitentia ac reditus ad Ecclesiæ unitatem. Hinc de præfata D. Ingenuini pœnitentia certum documentum petenti, præsto est responsum, non haberi quidem certum documentum de hujusmodi pœnitentia, uti nequidem ullum proferri potest pro ejusdem obfirmato ad obitum usque in schismate animo commonstrando; ex cultu tamen diuturno illi præstito satis ipsius resipiscentia datur intelligi: haud minus quam colligitur resipiscentia Theodori Africani acerrimi trium Capitulorum fautoris ex sepulchro Sanctorum Confessorum, quo donatus est, de quo supra; ex fama etiam Sanctitatis cultuque Columbani a Schismaticis trium eorundem Capitulorum Episcopis decepti resipiscentia itidem eruitur, de quo infra; nec non itidem resipiscen-

tia infertur S. Cypriani Carthaginensis Episcopi, qui pro defensando errore iterandi baptismatis ab hæreticis collati Stephano Romano Pontifici temere obstiterat, ex sanctitatis fama, quam post se reliquit, ac religioso cultu ipsi ab Ecclesia semper exhibito: tametsi de horumce trium ante obitum ejurato errore nullum aliud, quod sciam, adduci valeat certum documentum. Quapropter certum pro Ingenuini pænitentia comprobanda postulanti testimonium, reponi facile potest, ut vel ipse adferat, si potest, autenticum monumentum de retractato errore a Theodoro Africano, a Columbano, a Cypriano; tuncque jure exigere poterit simile de Ingenuini resipiscentia certum atque irrefragabile testimonium. Unde etiam si quis illud urgeat argumentum, certus est Ingenuini lapsus, at incerta retractatio, nullo negotio redarguitur, regerendo in illum argumentum, eodem pacto certum esse lapsum Theodori Africani, Columbani, ac Cypriani (*a*), sed incertam retractationem. Quod si horum retractationem ex fama Sanctitatis cultuque conjiciat, velut *a posteriori*, ut Scholæ loqui amant; idipsum quoque de Ingenuini retractatione conjectare eadem plane ex caussa licebit. Certe post translationem factam Sabionensis Sedis Brixinam, perpetuo cultum ipsi fuisse delatum, revocari in dubium minime potest. Ex quo etiam satis intelligitur, eodem cultu fuisse in Sabionensi quoque Ecclesia honestatum; neque enim Brixinenses Episcopi ausi fuissent ipsi cultum religiosum deferre, ni Sabionenses ejus exemplum jam diu præbuissent, probe gnari, primum eorum prædecessorem in Ecclesiæ unitate ad superos demigrasse. Id debuit exploratissimum esse maxime Mastuloni, qui juxta Anonymum Mabillonianum proxime Ingenuinum excepit, si præsertim ipsissimus fuerit cum illo, quem meritis extollit laudibus D. Gregorius velut strenuum damnationis trium Capitulorum defensorem, de quo postea. Adde, pro sententia, quam propugnandam adgressus sum, stare pacificam antiquissimi cultus possessionem, adeoque onus probandi incumbere, non ei qui illi favet, sed ei qui illi adversatur. Præsumptionem namque justi tituli antiquissimæ possessioni pacificæ suffragari jura omnia clamant (*b*). Quare

(*a*) Non peccavit quidem Cyprianus contra unitatem, sese divellendo ab Ecclesiæ centro, peccavit tamen contra veritatem, Ecclesiæ Capiti temere resistendo. Ubinam legere est de hoc doluisse ac pænituisse peccato?

(*b*) *L. cogi C. de petit. hæred. L.* 118. *H. de reg. jur.* &c. Consulenda hac de re docta ac elegans Epistola Gabrielis Comitis Verri Saxio Ambrosianæ Bibliothecæ Præfecto inscripta.

re præsumptionem ex ea esse vehementem de Ingenuini reditu ad Ecclesiæ unitatem, satis evincitur.

LXVI. Nec illud quis mihi oggerat, unitati ac paci discissarum Ecclesiarum conciliandæ obsuisse plurimum Longobardos, qui terrestrem Venetiam sibi subjecerant, ac quorum favore Aquilejæ veteris Schismatici fruebantur, sicut favore Romanorum Pontificum, Exarchorum, Græcorumque Reipublicæ tunc Christianissimæ, Catholici Gradenses gaudebant. Nam præter ea quæ diximus de Theodolindæ Longobardorum Reginæ exemplo, de supra laudatis Episcopis, qui sese Romanæ Synodo subscripsere, deque Sabionensi Valle Longobardis forte etiam tunc minime subjecta; illud quoque facit, quod monet Rubeus loc. præcit. ,, Tunc enim (ait) Græcis Istria ac Opitergium cum Venetiæ ,, continentis parte suberat, ac præterea Ravena cum Exarchatu, atque Roma, eorumque dominium, passim Respublica & ,, Sancta Respublica vocabatur &c.,, Quocirca ut obiter dicam, carpit Rubeus Baronium (a), qui Honorium I. *Venetam Rempublicam Christianissimam* nominantem intelligit de Republica illa Veneta, quæ ad hanc usque diem feliciter regnat; id quod tamen a vero abhorrere evincit idem Rubeus cum ex Epistola Romani Exarchi ad Childebertum Francorum Regem, tum ex Libello Schismaticorum Venetiæ Rhetiæque ad Mauritium Imperatorem, ex quibus palam est, per prædictam Rempublicam Græcorum Dominationem in Italia esse accipiendam. Accedit Longobardorum Reges haud adeo fuisse unitatis ac pacis inimicos, quin eos aliquando exterminandi schismatis desiderium incesserit, uti legere est in Epistola S. Columbani ad Bonifacium IV. data an. DCXIII. aut insequente, e Monasterio Bobiensi, quod ipse extruxerat, & in quo ipse vitam agebat. *A Rege cogor*, inquit Columbanus, *ut singillatim suggeram tuis piis auribus sui negotium doloris*. Rex autem erat Longobardorum Agilulfus, qui omni humanitate Columbanum de Gallia ac Germania venientem exceperat, uti Jonas in ejus vita litteris consignavit, ac dolor Regis erat *schisma*. Porro quemadmodum nemo in dubium vertere audeat Sanctitatem Columbani, utut Schismaticis viris plus æquo faverit, ita de Ingenuini sanctitate ambigendum non videtur.

(a) In eam magni Annalium Ecclesiasticorum Parentis sententiam novissime concessit sapientissimus Feltrensis Antistes Jo. Bapt. Bartholus in Instit. Jur. Can. Cap. XXXI. pag. 245.

detur. „ Ad ipsum Columbanum scripsere (inquit de Schismaticis Rubeus Schism. Aquil. cap. XVI. pag. 152.) qui ab illis „ deceptus prædictam Bonifacio dedit Epistolam schismatis veneno inspersam, Sanctique Viri pœnitentiæ operibus expiandam. „ Nemo etiam dubitavit unquam de Isidori Episcopi Hispalensis sanctitate, quamlibet tum in Chronico, tum in Catalogo Virorum Illustrium, Justinianum Imperatorem ob proscripta Capitula liberrime redarguerit. Et nihilo tamen secius nedum dubitare de Ingenuini sanctitate, sed & hanc præfracte negare fas erit, etsi verisimile sit una cum aliis pluribus, anteaquam mortalitatem expleverit, resipuisse?

LXVII. Quod si difficile dixeris, ut qui diu in Schismate obfirmati malo fato permanserant, facti postea pœnitentes, menteque in melius mutata, ad Ecclesiæ unitatem redierint; ajo ego, tantam difficultatem minime fuisse, qualem nonnemo comminiscitur; cum prudentis œconomiæ caussa a Magno Gregorio Pontifice probata, atque cum Theodolinda Longobardorum Regina, ac aliis multis exercita, tunc esset indultum, ut qui difficilioris essent ingenii Schismatici, schismati unice nuntium mitterent, solamque Ecclesiæ unitatem servarent, nulla Synodi V. ac Capitulorum damnationis injecta mentione; quippe *in ea* (ut idem inquit Gregorius L. 4. Epist. 39. alias 37. ad Constantium) *de personis tantummodo, non autem de fide, aliquid gestum est*. Atque hinc fiebat, ut Romani Pontifices, ut superius de eodem Gregorio animadvertimus, magis essent de immani tollenda in Corpore Christi scissura, quam de trium Capitulorum damnatione recipienda solliciti. Hanc sollicitudinem caritate plenissimam ostentant Pelagii Litteræ, quas scriptas a S. Gregorio auctor est Paulus Diaconus L. 3. de Gestis Longobardorum cap. 20.) atque hujusmodi sollicitudini & caritati, pacis ac unitatis amantissimæ, cessisse tandem virum certe probum, ac caritate erga captivos præstantem, tum quoque strenuum orthodoxæ fidei contra Arianos propugnatorem Ingenuinum, verisimile nemo negaverit, qui in ipsum ex præjudicata opinione male animatus non fuerit, ac vacuum partium studiis animum gesserit.

LXVIII. Erit fortasse, cui illud in mentem incidat, cultum Ingenuino schismatico delatum adscribendum Mantuanæ Synodo anno DCCCXXVII., in qua Candidianus Antistes Gradensis haud dubie Catholicus per summam injuriam Hæreticus audiit, habiti haud secus certe Schismatici Episcopi apprime orthodoxi. In qua quidem Synodo Maxentius Patriarcha Aquilejensis

jensis in Libello supplici Concilio porrecto injurias olim a Schismaticis Candidiano illatas perperam usurpavit. Ast si ex hac Synodo (idem esto de Pauli errore judicium) cultus Ingenuini manavit, multo magis inde oriri debuit cultus Aquilejensium Metropolitarum, qui schisma conflarunt, foverunt, propagaruntque, quum tamen nullum in Catholica Ecclesia, nequidem in universa Ecclesia Aquilejensi, cultum hactenus nancisci potuerint. Scio quidem *in Catalogo Patriarcharum Aquilejensium, qui quot annis die secunda Februarii in Festo Purificationis Deiparæ recitatur in Ecclesia Collegiata S. Mariæ in Civitate Forijulii*, recenseri nomina *Macedonii*, qui schisma inchoavit, *Pauli* sive Paulini Schismatici, *Probini* Schismatici, *Heliæ* Schismatici, *Severi* Schismatici, *Joannis* Schismatici, *Marteniani* sive Marciani Schismatici, *Fortunati* Schismatici, *Felicis* Schismatici, *Joannis II.* Schismatici, *Joannis III.* Schismatici; nihilo tamen secius sublestæ admodum fidei mihi videtur hujusmodi Catalogus, quam ut loco Diptychi haberi merito possit. Tametsi enim vetustis Episcoporum Catalogis ea fides, quæ Diptychis debetur, adhibenda sit, quoties interpolationes haud deprehenduntur, quæ sequiori tempore irrepserint, ac ex Diptychis ipsis prodiisse censendi sint; neutiquam tamen, si in multis vitiati offendantur, uti pluribus vitiis ac interpolationibus Catalogus præfatus laborat. Cum primis perperam primos Episcopos titulo Patriarchæ insignitos in eo legere est, quum tamen Patriarchæ nomen novitium sit, quam ut valeat sibi Diptychorum antiquitatem auctoritatemque vendicare, ac perperam quoque in eodem videre sit Stephanum inter & Macedonium intrusum Maxentium, illum fortasse qui Juliensem in Carnis Ecclesiam administrandam suscepit. Præterea alio quoque vitio deformatur memoratus Catalogus, quod ita in eo omittatur nomen Candidiani orthodoxi Patriarchæ cum reliquis usque ad Petrum ut e contrario ante *Valerianum* nomen *Fortunati* sive *Fortunatiani* recitetur, quem tamen post præclara gesta pro fide Nicæna & Athanasio Alexandrino, constat fuisse lapsum, atque ad lapsum quoque Liberium Romanum Pontificem compulisse. Porro a veris Diptychis aut exulare nomina hæreticorum, sive hæresis quomodocumque fautorum, aut expungi consuevisse, nemo nescit. Namque loco Theodori Senioris, qui hæresi infectus decesserat, nomen Cyrilli Alexandrini Diptychis Mopsvestenis inscriptum fuisse, Acta testantur. Antilogia quoque est eo in Catalogo, dum post recensita nomina eorum, qui Schismatici fuerant, laudatur quoque *Petrus*, qui schismate ejurato ad Eccle-

siæ

siæ unitatem redivit; ac inter Petrum & Serenum rursum Joannes quidam perperam intruditur. Item alio quoque nomine deficit ille Catalogus a vera Diptychorum ratione: quod Diptycha Episcoporum, qui vitam in communione catholica cum morte commutaverunt, inter Missarum solemnia publice legi consueverint, ubi in prælaudata Collegiata Ecclesia S. Mariæ Civitatis Forijulii obtinuit usus duntaxat semel in anno ex Odeo ante Missarum solemnia præfata nomina recitandi; nec opinor per hujusmodi recitationem ullum cultum recensitis Episcopis exhiberi. Quod si ea recitatio habeatur instar cujusdam cultus, toto non tanto ostio, sed Cœlo, distat a cultu S. Ingenuini, cujus non tantum fit semel in anno memoria in una singulari Ecclesia duntaxat ante Missarum solemnia, sed templum princeps Diœcesis Brixinensis ipsi est dedicatum, religiose servantur cum in Brixinensi, tum in Bellunensi Cathedrali sacræ ejus reliquiæ, solemne celebratur Officium, recitatur Missa, non tantum Fastis Brixinensibus, sed & Romanis ejus nomen inscriptum est, in multis Martyrologiis ejus quot annis memoria recolitur, templum illi sacrum extat in Diœcesi Curiensi, alia alibi, quorum meminit Roschmannus pag. 35., ejudem nomen in universa celebratur ecclesia &c. Quid plura? Si ex Mantuana Synodo, sive ex Pauli Diaconi errore, Ingenuini cultus invaluerit, debuit eadem quoque de caussa cultus tribui *Vindemio Cenetensi*, *Vigulo Pataviensi*, *Solacio Veronensi*, *Agnello Tridentino*, *Fontejo Feltrensi*, *Laurentio Bellunensi &c.* omnibus Episcopis Schismaticis maxime cum eidem Mantuanæ Synodi se se subsignarint *Rottoldus Veronensis Episcopus*, *Dominicus Patavensis*, *Emmo Cenetensis*, *Ottelbertus Bellunensis*, *Auratus Feltrensis*, *Archidiaconus agens vicem Heimberti Tridentini Episcopi*, ac nullus neque proprio, neque vicario nomine, Sabionensi Antistes. Cumque eidem Synodo Mantuanæ subscripserit quoque Franco Vicentinus, quæritur, cur ex ea factum nequaquam fuerit, ut Horontius, sive Horontinus, Vincentinus Præsul, vel ipse inter Aquilejensis schismatis fautores recensitus, in Sanctorum Vicentinorum Fastis, instar Ingenuini in Fastis Sanctorum Sabionensium, locum obtineret? Neque enim adhibenda fides Ughellio tradenti, Horontii memoriam quot annis in Vicentina Ecclesia 5. Junii celebratam, ut locupletissimum mihi testimonium perhibuit Vir si quis alius eruditissimus in Vicentinæ ejusdem Ecclesiæ Canone conscriptus, proferens ad fidem quoque contra Ughelii testimonium faciendam præter duo vetustissima illius Eccle-

Ecclesiæ Kalendaria, in quorum neutro ullibi nomen Horontii invenitur, etiam Barbarani Vicentinarum rerum diligentissimi Scriptoris testimonium. Jam ergo percontari lubet, quo fato acciderit, ut unius Ingenuini, olim Schismatici, nomen in Fastos Sabionenses, sive Brixinenses per summam oscitantiam irrepserit? Num sola Brixinensis Ecclesia a Synodo Mantuana, sive a Paulo Diacono, Bartholomæo Tridentino, Petro Calo, Petro de Natalibus &c. turpi adeo fuerit hallucinatione decepta, ut Schismaticum virum apprime catholicum existimaret? Nullusne ex sanctissimis juxta ac sapientissimis Episcopis, qui sequutis temporibus Ingenuinum excepere, tantam fraudem retexerit? Nec unus ex veterno tantopere immanis erroris evigilarit? Tantumne potuit apud solam Ecclesiam Brixinensem unus sive Pauli Diaconi, sive Synodi Mantuanæ, sive aliorum error, ut cimmeriis plusquam tenebris involuta nusquam errorem suum deprehendere potuerit de cultu ab se præstito schismatico viro tanquam catholico? Nemo Brixinensium priscorum Præsulum unquam legerit alias vulgatissimas Gregorii Summi Pontificis Epistolas, aut ejusdem vitam a Joanne Diacono conscriptam, ut in re trium Capitulorum Schismaticos a Catholicis rite dispiceret? Cur igitur, rursus postulo, Ingenuinus religioso cultu apud Brixinenses jam diu donatus, ac latius quoque ejusdem cultus in Christi Ecclesia propagatus, nisi quia nedum ad cor rediit, atque a schismate resilivit, verum etiam fidei caussa adversa multa æquo animo tulit, ac demum Confessoris quoque nomen promeruit? Hercle si præfatus cultus ex errore fuisset profectus debuisset de illo suos Brixinenses animadvertere Poppo Episcopus Brixinensis, mox ac agente Henrico III. Augusto in locum demortui Clementis II. Romanus Pontifex ann. Christi 1048. salutatus est, ac Damasus II. nuncupatus, utpote cujus integritatem satis defendunt tradita ab Hermanno Contracto apud Hundium in Metropoli Salisburgensi a fol. mihi 298. Hujus mentio fit in Concil. Remens. ann. 1049. apud Harduinum. Non videtur etiam quei passi fuissent tantum errorem Albuinus & Hartmannus Brixinenses Episcopi sanctitatis fama conspicui, ac Cardinalis Cusanus doctrinæ præconio inter Brixinenses Præsules longe celeberrimus. De eodem quoque errore debuissent Archiepiscopi Salisburgenses commonefacere Brixinenses, posteaquam in eorum ditionem Brixinensis Ecclesia devenit. Porro tam longe est, Romanos Pontifices, aut Salisburgenses Archipræsules, sive Brixinenses, aliosque magni nominis Ecclesiæ Prælatos, improbasse usquam D. Ingenuini

nuini cultum, ut potius ipsum magis magisque promoverint, sicut infra patebit. His autem omnibus fucum fecisse Paulum Diaconum, adeo ut nemo unus eorum tam palmarem hallucinationem deprehenderit, nescio an cordato viro persuaderi ullatenus queat.

LXIX. Negari tamen, inquies, minime potest post Paulum Diaconum nedum errasse Historiæ Miscellæ Scriptorem, Auctorem Chronici Patriarcharum Aquilejensium, Andream Dandulum, Joannem Diaconum Veronensem, Bartholomæum Tridentinum, Petrum Calo, Petrum de Natalibus, Marcum Antonium Sabellium, Leandrum Albertum, Philippum Ferrarium, Carolum ipsum Sigonium sui ævi litteratorum Virorum facile principem, Onuphrium Panvinium vel ipsum eruditissimum, Joannem Candidum, Wiguleum Hundium, Hieronymum Rubeum Auctorem Historiæ Ravennatis, Palladium Forojuliensium Annalium Scriptorem, Ughellum, ac sexcentos alios, quos nimis longum esset enumerare; verum etiam in ipsa præmemorata Mantuana Synodo una cum Maxentio Aquilejensi Patriarcha in eodem schismatici erroris luto hæsisse plures Æmiliæ, Liguriæ, Venetiæ Episcopos cum doctrina, tum etiam sanctitate conspicuos. Quid mirum igitur sub eadem laborasse porticu Sabionensem Ecclesiam, Nationemque Germanam cæteris simpliciorem? Verum enim vero injurias a Maxentio Aquilejensi Patriarcha Candidiano irrogatas, a Schismaticis olim in ipsum adhibitas, minime probasse, sed *impune dissimulasse* duntaxat Mantuanæ Synodi Patres, monet Cl. Bernardus de Rubeis not. 17. ad præfat. Syn. pag. mihi 241. Quei enim illas ratas habuerint *vir venerabilis & sanctissimus Benedictus Episcopus, & Leo reverendissimus Diaconus Bibliothecarius Legati videlicet Sanctæ Romanæ Ecclesiæ habentes locum Beatissimi Papæ Eugenii, Sycardus Palatinus Presbyter, & vir spectabilis Theoto ab Augustis directi, Petronasque Ravennates reverendissimus Archiepiscopus, atque Angelpertus sanctissimus Mediolanensis Archiepiscopus*, ac inter cæteros *Rampertus Brixianus Episcopus*, sanctitate ac doctrina præfulgidus? Quid commune erat Sabionensi Ecclesiæ cum Mantuana Synodo, cum illa jam fuisset sub Alimo a Metropolitana Aquilejensi Ecclesia disjuncta, ac Metropolitanæ Juvaviensi adsociata? si juxta Adversarios nondum divulsa a Metropolitis Aquilejensibus vigente adhuc schismate, errorem hujusmodi non contraxerat, ut virum perpetuo Schismaticum superstitiosissime coleret, quanto minus postea? Itaque Libellus Maxentii Aquilejensis, exhibitus Patri-

Patribus Mantuanæ Synodi, similis fuisse videtur Libello alteri Joannis Thessalonicensis porrectus Patribus Synodi II. Nicenæ, de quo Libello Petrus Annatus Lib. V. de Sacris Conciliis art. VIII. a pag. mihi 447. „ Productus est & lectus liber quidam Joannis „ Thessalonicensis Episcopi, in quo disputat cum Gentili Viro „ de usu Imaginum, & an Angeli sint corporei, interrogante „ Gentili, & respondente Joanne, & asserente, Angelos cor- „ poreos esse, ideo pingi posse. Pingi posse definivit Concilium, „ sed rationem illam Joannis, nimirum quod corporei sint, nec „ definivit, nec ad illam attendit, utpote quia de solo retinen- „ do Imaginum usu tunc quæstio erat &c. „. Idem esto judicium de adnexa illa Maxentii ratione, quum nulla esset tunc de tribus Capitulis controversia, sed unice de jure antiquo Metropolitico sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ. Quod autem spectat Pauli Diaconi errorem iis, aliisque numero pluribus, quos commemoravimus, communem, temere adfingeretur, cum Alexandro IV. P. M. qui reseratis Ecclesiæ thesauris, erogatisque Indulgentiis, D. Ingenuini cultum ratum habuit, tum Anonymo Mabillloniano, qui Epitheton *almi* sive *sancti*, D. Ingenuino ab ipso adscriptum, ex sacris Diptychis hausit, nec non viris sanctis, qui eumdem D. Ingenuinum quam religiosissime coluere, nec de ejus sanctimonia usquam dubitarunt.

LXX. Objectabit alius forte, Acta Sancti Ingenuini, maxime in Proprio Brixinensi contenta, queis Ingenuini ejusdem sanctitas præcipue comprobatur, incerta esse, & apochrypha, quinimmo saltem in plerisque fabulosa ac falsa, quemadmodum minime diffitetur ipse Roschmannus pag. 67. Hæc tamen objectio facile diluitur Bellarmini verbis, quibus similem Heterodoxorum argutiam negantium sanctitatem Christophori, Georgii, Catharinæ &c. ita convellit L. I. cap. XX. de sanct. Beatit. pag. mihi 375. „ Sanctorum quorundam Historias apochryphas qui- „ dem & incertas esse: non tamen propterea sanctos ipsos nun- „ quam fuisse. Nam si ita argumentari liceat; plerique Apostoli „ inter sanctos numerari non poterunt, nam historiæ, quæ ferun- „ tur vel ex Abdia vel ex aliis, ut plurimum non sunt prorsus in- „ dubitatæ &c. Quocirca Gelasius Papa Canone Sanct. Rom. dist. „ 15. Historiam S. Georgii inter Apochryphas numerat, & ta- „ men Sanctum ipsum Georgium colendum esse affirmat, quia etsi „ apochrypha erat Historia, quæ tunc extabat, non tamen apo- „ chrypha est consuetudo universalis Ecclesiæ, qua semper Georgii, „ Chrystophori, & Catharinæ memoria celebrata fuit „. Hæc

venerabilis Scriptor doctrina haud secus quam purpura undequaque eminentissimus. Hercle magnus etiam Baronius insigne ejusdem purpuræ ornamentum se invenisse testatur in Not. ad Martyrol. Rom. 23. April. Georgii Acta multis profecto referta mendaciis, atque in iis portentosa quædam ab omni miraculorum ratione aliena, unde deducit, totam illam de Actis Georgii fabulam fuisse commentum Arianorum, nec tamen de Georgii sanctitate ac illustri martyrio ambigere sinit Martyrol. Rom. eadem die 23. April. Extra dubium quoque sanctitas martyriumque Christophori, de quo idem Martyrol. Rom. 25. Jul., & tamen illius Acta laud. Baron. in Not. depravata ac inter se diversa agnoscit. Idem esto de Catharina judicium, cujus jugis memoria fit in eodem Martylog. Rom. 25. Nov., ubi rursum in Not. testatur Baron., in Actis ejus haberi aliqua, quæ corrigantur, nullumque, qui illorum temporum res gestas noverit, id posse inficias ire. Nonne Baron. in Præcapitulatione ad Martyrol. Rom. cap. II. per totum demonstrat, quæ de vere Sanctorum historiis ab Hæreticis, vel aliis, qui quæstum pietatem putant, quive zelum quidem habent, sed non secundum scientiam, falsa scripta sunt? An non palam facit integro Cap. III. immensam jacturam, quam passa sunt Acta eorum, qui vere Martyres audiunt, & sunt, adeo ut ipsa quæ titulo Notariorum Romanæ Ecclesiæ Acta Martyrum a quibusdam edita habentur, si ad severiorem censuram rerum ac temporum exigantur, vix perpauca sit reperire, quæ aliqua saltem ex parte non arguantur erroris? Si igitur id genus vitia, queis ejuscemodi Acta laborant, sanctitati præfatorum Martyrum nihil officiunt; cur, amabo te, Ingenuini sanctitati oberit falsitas Actorum, quæ de ipso leguntur? Nunquid quia in Fastis Brixinensibus pleraque falsa de S. Cassiano narrantur, dubitare fas erit de ejusdem sanctitate ac insigni Martyrio? Aut quia suis non vacant mendis Acta SS. Tridentinorum Vigilii, Maxentiæ, Romedii apud Bartholomæum Tridentinum, neque iisdem carent Acta Bellunentia S. Lucani &c. eorundem sanctitas in dubium revocari jure poterit? Nec est quod reponas, præmemoratorum omnium sanctitatem satis aliunde constare. Quandoquidem & Ingenuini sanctitatem testatam faciunt, cum antiquissimus ejusdem cultus maxime probatus, Anonymi Mabilloniani, Diptychorumque ipsi compertorum testimonio, Instrumento authentico X. sæculi apud Reschium, Imperatorum Diplomatibus Henrici Sancti anno 1020., Conradi II. 1027., & Henrici IV. 1078. ac 1081., ac etiam Martyrologiis pluribus, vide-

videlicet olim emendato a Bellino de Padua, moderno Romano, Germanico Canisiii, Salisburiensi, aucto a Molano, contexto a Galesinio &c. Tum illam ipsam sanctitatem testantur Romani Pontifices, quos inter Alexander IV. in Diplomate ann. 1257., ac Salisburgenses Archipræsules, signanter B. Ebherardus, uti etiam numero plures aliarum Ecclesiarum magni nominis Episcopi, & Archiepiscopi, quos enumerat Reschius a pag. 20., atque ex eodem nos infra dabimus. Item Scriptores plurimi Aquilejensis Schismatis historiæ apprime gnari, ac ipsæ Litteræ autographæ de anno 1274. Concilii Lugdunensis in Tabulario Reverendissimi Capituli Brixinensis adservatæ de reliquiis SS. Ingenuini & Albuini disertam mentionem facientes, nec non propagatio cultus, ut dixi, per Diœcesim Curiensem ac etiam alibi (*a*), communicatio earundem Reliquiarum Ecclesiæ Bellunensi facta (*b*), illarumque a Sabiona Brixinam translatio peracta a Sancto Antistite Albuino; ac præteritis omnibus ipsa sancta Ecclesia primum Sabionensis, tum postea Brixinensis, quæ ab eodem, ut multis videtur, duxit exordium, nactaque est insigne incrementum, successionemque Episcoporum, minime Schismaticorum, ut vel hinc conjicere fas sit, ipsum repudiato schismate, in unitate Ecclesiæ plenum dierum, ac bonorum operum ex hac vita migrasse, quum nullum schismatis olim sui post se hæredem successoremque reliquerit, eaque sanctitatis fama vivus ac mortuus præfulserit, ut Ecclesia ab se fundata, in pacifica cultus perpetuo delati possessione, semper immota permanserit. Eundemque adhuc in vivis agentem recessisse a schismate, quo a Romana Ecclesia desciverat, comprobant quoque miracula ab eo in vita ipsa patrata, de quibus authenticum præbet testimonium modernum Martyrologium Romanum iis verbis ad Nonas

(*a*) Roschmannus pag. 35. refert „ Sancti Ingenuinus & Albuinus in diversis sacris Ædibus coluntur: & primo quidem Schlandemæ in Valle Venusta Diœcesis Curiensis, & Halæ cum S. Nicolao in nostra: deinde vero cum S. Albuino in confinio Carinthiæ ac Tyrolis Parochiæ Anasarensis, Arzelii in superiore OEni Valle, Hœtingæ ad OEnipontem, atque Hyppaci iterum in confinio Salisburgensis & Brixinensis Diœcesium Templo gaudet. „

(*b*) Legere est apud Ughellum To. V. Ital. Sacr. de Bellun. Episc. col. 1441. Edit. Colet. inter Sacras Reliquias Bellunensis Ecclesiæ adnumerari *brachium S. Albuini*, ac *notabilem Crucis partem S. Ingenuini*, quæ una cum S. Lucani corpore, aliorumque Sanctorum Lipsanis in Carhedrali Templo Thecis argenteis, aliisque pretiosis vasibus inclusæ, religiosissime servantur, atque coluntur.

nas Februarii: *Brixinone Sanctorum Episcoporum Genuini & Albini, quorum vita miraculis extitit gloriosa*. Miraculis itidem claruisse posteaquam diem extremum clausit narrat Hundius in Metrop. Salisburg. ajens, quod *in bodiernum diem miraculis clarescit*, cui testi sin minus oculato, saltem aurito, non videtur deneganda fides, præsertim cum illud ipsum a testibus antiquioribus ac fide dignis accepisse negari haud possit. Quibus accinit Historia Salisburgensis Mezger L. 3. c. 6. pag. 240. posteaquam scilicet Sacra ejusdem Lipsana primum Brixinam translata sunt, tum postea una cum aliis Sanctorum Reliquiis collocata in Altari dedicato a B. Hartmanno Brixinensi Episcopo anno CIↃCXL. Indict. VIII. 3. Non. Nov. ut habent Membranæ coævæ apud Raderum (*a*).

LXXI. Insurget Romani Martyrologii morosus quidam Censor, reponens ex præclarissimo Opere de Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione Lib. IV. Par. II. Cap. XVII. Edit. Patav. *Apostolicam Sedem non judicare, inconcussæ esse & certissimæ, authoritatis quæcumque in Martyrologium Romanum inserta sunt*. Etenim haud ita emendatum est sæpius, ut nova emendatione non egeat. A Gregoriana Martyrologii Editione, Urba-

(*a*) Vol. 2. Bav. S. p. 270. ita sonant ,,. Anno ab Incarnatione Domini ,, CIↃCXL. Indict. VII. 3. Non. Nov. ,, dedicatum est hoc Altare a Venerabili ,, S. Brixinensis Ecclesiæ Episcopo Hartmanno in honorem S. Genitricis Mariæ, SS. Apostolorum Andreæ Jacobis; Continentur autem, & de Ligno in quo passus est S. Andreas, & ,, reliquiæ SS. Martyrum Georgii, Vitalis, Cassiani, Colomanni, SS. Confessorum Ingenuini, Albuini, Gisilarii, SS. Virginum Eusemiæ, Walburgæ ,,. B. Hartmanni meminit quoque apud Roschmannum antiquissimum quoddam Kalendarium, in quo sicut 7. Jan. memoria recolitur Sancti Valentini Rhætiarum Apostoli, 27. Mart. D. Ruperti, ac 24. Sept. Translationis ejus, & D. Virg. Salis. 2. Maii Translationis S. Elisabeth ex Matre Ducissa Meranensi, 30. ejusdem S. Erentrudis D. Ruperti Sororis, 11. Jun. Translationis S. Benedicti, ac 16. Translationis S. Quirini M. sub Pipino, 4. Jul. Translationis S. Martini, 8. Septemb. primi Frisingensium Episcopi S. Corbiniani: ita 23. Decemb. B. Hartmanni, de quo idem Roschmannus pag. 109. ,,. Beati ,, Hartmanni memoria ac festus die 23. ,, Decembr. recurrens dies ex eo deducendus erit tempore, quod nobis ,, Chronica Salisburgensis apud Canisium T. 3. part. 1. Edit. Basn. annos ,, 1237. adnotat: *Salisburgensis Episcopus Ecclesiam Brixinensem consecravit, & ossa B. Hartmanni reverenter de terra collocavit* ,,. An ergo Beatus hic Episcopus reliquias ejus, qui Schismaticus obiisset, eo pacto ausus fuisset, æque ac alias Sanctorum reliquias, in Altari ab se consecrato quam religiosissime collocare? Beatus, inquam Hartmannus, qui adversus schisma Victoris Pontificis egregie pugnavit, tutatusque est partes Alexandri III. Summi Pontificis, teste Raderico Otonis Frisingensis continuatore?

Urbano VIII. P. M. regnante, novis curis recognita, Sulpicius Severus Episcopus *S. Martini Discipulus* expunctus est Jan. 29. Ad diem quoque 25. Januarii fiebat in Romano Martyrologio commemoratio Sanctæ *Xynoridis* Martyris, quæ *Xynoris* invecta in illud fuerat ex loco Chrysostomi Hom. XIV. de Lazaro perperam intellecto, ubi *Xynoris* par Martyrum designat, *Juventinum* scilicet & *Maximum*, qui Antiochiæ corona martyrii redimiti fuere, imperante Juliano. Monuerunt de errato Baronium Petrus Pithæus, Nicolaus Faber, & Petrus Ducæus. Quapropter ad eum corrigendum errorem mox manum admovit ac spongiam adhibuit. Ad diem 31. Julii ibidem injicitur mentio S. Firmi Episcopi Tagastensis. Bollandiani videntur Tom. VII. Julii ad diem 31. Julii appositionem hujus nominis improbasse. Ad diem 2. Novembris in eodem Romano Martyrologio hæc habentur: *Laudiceæ in Syria S. Theodoti Episcopi, qui non solum verbis, sed etiam rebus & virtutibus fuit ornatus*. Fit quoque ejus commemoratio in Martyrologio, edito a Rosvveido, in illo Adonis ac Usuardi. Theodotum vero Ariana labe infectum tradunt Valesius in Notis ad Eusebium pag. 317. Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymi pag. 497. & 948. Pagius ad ann. 318. num. 17. 18., & Continuatores Bollandiani Tom. VI. Junii pag. 24. & Tom. VII. Part. II. pag. 645. præcipue quod ipse Baronius in Annal. ad ann. 318. num. 48. 50. & ad ann. 325. num. 40. Theodotum Arianum aperte demonstravit. Auxentii Mopsvestenæ Ecclesiæ in Cilicia Episcopi nomen Martyrologii Romani tabulis consignatum ad diem 18. Decembris, ab illius Ecclesiæ Diptychis exsulat: & jure quidem meritoque; cum Fratres Ballerinii Lib. III. cap. IV. num. II. Observationum in sacra Norisii Opera adnotarint, fuisse Arianum. Ad diem etiam 2. Januarii, cum optimæ notæ Codex hanc veram lectionem præseferat: *Antiochiæ Siriæ Doni Episcopi ejusdem loci*, Amanuensium vitio gemina *Siridonis* & *Isidori* nomina irrepsere. Accedit geminum Hilarii Arelatensis Episcopi, & Vincentii Lirinensis exemplum, quorum uterque videlicet Hilarius die 5, Vincentius die 24 Maii in Martyrologio Romano commemorantur, tametsi eorum doctrina fuerit Semipelagianismi labe quam teterrime adspersa. Accedunt quoque Geographica menda, ut cum in Rom. Martyr. IV. Non. Novembr. Victorinus Episcopus adpellatur *Pictaviensis*, cum legendum sit *Petoviensis*. XII. Octobr. S. Maximilianus Laureacensis Episcopus dicitur passus *Celenæ in Pannonia*, loco *Celejæ in Norico*. Celeja namque ad Noricum certe pertinuit, cum a Plinio

inter

inter Noricas Urbes connumeretur, quo etiam nomine in Lapidibus ac Itinerario constaret &c. Hæc tamen omnia aranearum instar uno flatu dissolvuntur, si dixerimus, nomina ex Diptychis desumpta, atque in Martyrologium Romanum translata, nulli esse correctioni & emendationi obnoxia, ut ut inconcussa non fuerit ejusdem Martyrologii auctoritas; neque satis esse puras putasque conjecturas ad expungendum aliquem, ipsi Martyrologio jam diu insertum, atque antiquissimo in Dei Ecclesia cultu honoratum. Porro Anonymus non videtur *Almi* epitheton, Ingenuino adtributum, nisi ex antiquis Diptychis didicisse, cui quoque Ingenuino is suffragatur vetustissimus cultus, contra quem quæcumque adglomerantur conjecturæ, prævalere neutiquam possunt. Quo vero ad singula, quæ objectantur, respondeam, ajo, non fuisse deletum e Romano Martyrologio nomen *Severi Sulpitii Episcopi*, sed illud additamentum duntaxat *Sancti Martini Discipuli* (*a*). Error etiam non fuit in nomine *Xinoridis*, sed in adjecto *Sanctæ Martyris*. *Firmus* ille stat & vindicatur auctoritate S. Augustini Lib. de Mendatio. Fautor Arii haud nuncupatus *Theodotus*, sed *Theodorus*, uti animadverterunt Philippus Labbeus, Gabriel Cossartius, & Harduinus. Obiit profecto *Theodotus*, anteaquam Ariana hæresis pullulare cœpisset juxta Eusebium in Hist. Eccl. L. VII. cap. XXXII. *Auxentium* ter nominatum legere est in Mopsvestenæ Ecclesiæ Diptychis, quæ Joannes Presbyter & Cimeliarcha protulit ex Armario sacrorum Vasorum; uti testantur Concilii Mopsvesteni Acta Collatione V. Synodi V. Œcumenicæ recitata (*b*). Si error forte sit in Siridone & Isidoro mendum est nominis. Certior error est, sed duntaxat geographicus, in *Victorino Pictaviensi*, nec non in *Celeno Pannoniæ*. Porro si qui sunt id genus errores in nomine, geographia, ac adjectis, aut leviores, aut tanti nequaquam sunt in tanta rerum segete, ut valeant Martyrologii Romani auctoritatem elevare, nedum evertere. Quod spectat Hilarium Arelatensem, ac Vincentium Lirinensem nihil facit ad rem: *Siquidem* (inquit Sapientissimus

(*a*) Legantur Litteræ Apostolicæ præfixæ Editioni novissimæ Romani Martyrologii num. XLVI. & seq.

(*b*) Ex ordine Diptycorum Mopsvestenæ Ecclesiæ discimus Auxentii nomen, illis insertum, esse non Auxentii primi, sed secundi; neque proin delendum a Romano Martyrologio nomen Auxentii, sed illud duntaxat additamentum: *qui olim sub Licinio miles* &c. uti diximus de præfato additamento ad Severum Sulpitium. Tametsi de hoc minime ausim meum interponere judicium, sed illud ferendum relinquo Romanæ Sedi, cui, ut par est, me totum subjicio.

tiſſimus Romanus Pontifex Benedictus XIV. in Litteris Apoſtolicis Romano Martyrologio recens aucto & caſtigato præfixis num. XXXI. *) etſi viros illos Semipelagianiſmi errore tactos concederemus, quod tamen plures denegant, qui catholicam eorum ſententiam egregie tuentur, excuſandi tamen, ſi quid humani hac in parte illis exciderit; nondum enim catholica doctrina Supremo Apoſtolicæ Sedis judicio fuerat definita, ut in Lib. 2. Oper. de Canonic. cap. 29. pluribus diſputavimus* (a). Ubi obſervat quoque Pontifex modo laudatus, tam procul fuiſſe venerandum Romani Martyrologii Codicem ab admittendis, aut hæreſi Ariana adſperſis, aut in Arianos propenſioribus, aut etiam ſola Ariani erroris ſuſpicione laborantibus, ut reſpuerit hac etiam de cauſſa nomina Conſtantini Magni, & Clementis Alexandrini, tametſi, non deſint Viri doctiſſimi, qui hanc ab illis maculam ſtudeant amoliri. Legeſis num. XXVIII. & ſeqq. Quod autem errorum corrigendorum obtentu non ſit facile diſtringenda in Martyrologium Romanum virga cenſoria, monet ibidem Num. II. idem Pontifex hiſce verbis albo lapillo ſignandis ac ſæpius in rem noſtram repetendis: *Minime nos fugiunt multæ graveſque controverſiæ, quæ circa Romanum Martyrologium agitantur, ab aliis quidem, quos ſcientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurigine; ab aliis vero, qui ad ſobrietatem ſapiunt, eo conſilio, ut quæ ſuboſcura ſunt vel incerta, nova quadam veritatis luce donentur*. Quid? ipſiſmet Criticis, plura corrigenda & emendanda in Romano Martyrologio paſſim offendentibus, ſolemne eſſe, ſi quando in rem ceſſerit ſuam, illius auctoritatem identidem uſurpare „. Mirari non ſine cauſa (inquit Honoratus „ a S. Maria in Animadverſionibus ad uſum & Regulas Critices L. 1. Diſs. 2. pag. mihi 61.) Eruditos iſtos Martyrologiorum & Breviariorum auctoritatem in ſuum referre cenſum, „ quoties aliquo ipſis futura eſt emolumento; & nullius ponderis eſſe docere, cum piis Traditionibus ſtatuendis opportunitatem habet. „

LXXII. Martyrologii Romani auctoritas, inquies, Ingenuino plus officit, quam proſit, cum in veteri Romano Martyrologio ſemper ejus nomen abfuerit, uti quoque in antiquiſſimo,

(a) Conſulatur Commentatio Eccleſiaſtica Polemica pro S. Vincentio, Auctore ampliſſimæ eruditionis Viro P. F. Franciſco a S. Auguſtino Macedo Luſitano Ord. FF. Min. ſtrict. Obſer. cap. XVII., ubi doctiſſimi Viri ſentiunt, reſipuiſſe illos, &, damnatis erroribus, in Sanctorum faſtos fuiſſe relatos.

mo, quod Hieronymi nomine circumfertur, de eodemque itidem alte siluerint prisci Martyrologiorum Scriptores Beda, Florus, Rabanus, Ado, Usuardus, Notkerus &c. Neque Bollandus in conquirendis omnibus monumentis pro adserenda Ingenuini sanctitate diligentissimus potuit proferre antiquius eo, quod Venetiis publici Juris fecit Bellinus Patavinus anno MCDXCVIII. estque Usuardi Martyrologium ab ipso variis additamentis locupletatum. Ex quo, uti quoque ex Auctariis Molani ad idem Usuardi Martyrologium, videtur sequiori ætate in Martyrologium Romanum Ingenuini nomen irrepsisse. Quisquis tamen ita novi Romani Martyrologii auctoritatem declinare studes, facile refelleris ex iis, quæ in præcit. Litt. Apostol. nos docet nuperus Romanus Pontifex; quod nempe Correctores Romani non alia nomina in Martyrologium intulerint, quam vel ex antiquioribus Martyrologiis petita, aut cultu antiquissimo prædita. Inquit enim num. XLVIII. *Correctores Romanos ea tantum in Romanum Martyrologium transtulisse Sanctorum Nomina, quæ & veteribus probatisque Martyrologiis petebantur*. Nec non num. XVI. *Sanctorum Fastis fuisse adscriptos, quorum cultus suam novit originem ab approbatione Episcoporum, in quorum Diœcesi Servi Dei ex hac Vita ad cælestem patriam translati sunt. Hinc paulatim ex una ad aliam Ecclesiam, tandemque in universum Orbem Catholicum cultus ille diffusus est, non sine expressa aut saltem tacita Romani Pontificis consensione, ut fusiori sermone demonstravimus in L. 1. de Canoniz. Sanct. cap. 6. num. 9*. Tum num. XXVII. *Neminem latet, priscos Ecclesiæ Fideles ex præconcepta animisque indita veræ Sanctitatis opinione vel ipsos Confessores, qui in Domino obdormierant, cultu publico venerari consuevisse, etiamsi hac de re solemnis disciplina ac ritus nondum ab Ecclesia fuisset introductus*. Hinc inter cæteras rationes potissimas, quibus utitur Pontifex Summus, ut ostendat, Clementis Alexandrini nomen Romani Martyrologii tabulis minime consignandum, vel illam adfert cit. num. XXVII. Nullum monumentum, imo nec ullum quidem vestigium superest cultus, quem aliqua Ecclesia, aut Diœcesis, expresso vel tacito Catholici Episcopi assensu, exhibuerit Clementi Alexandrino. Accedit nihil officere D. Ingenuini sanctimoniæ, quod serius fuerit Romano Martyrologio ejus nomen inscriptum, sicut nihil obest Sanctitati Virgilii Episcopi Salisburgensis, Siricii Papæ &c. quod nunc primum eorum nomina fuerint Romano Martyrologio novissime aucto & castigato inserta.

LXXIII. Sciscitaberis, cum ibidem num. XXVI. tradat idem Roma-

Romanus Pontifex: *non in una vel altera bonorum Operum specie Sanctitas, de qua hic loquimur, sita est, sed virtutibus in gradu heroico assidue exercitis, atque ad obitum usque productis, probatur*; ubinam, si Deo placet, sunt ejuscemodi virtutes in gradu heroico ab Ingenuino assidue exercitæ atque ad obitum usque productæ, ut jure meritoque Sanctus haberi queat? Nihil enim apud Paulum Diaconum de eo legere est laude dignum, quod Agnello Tridentino commune non sit, cui tamen Agnello Tridentina Ecclesia nusquam cultum exhibuit. Cui difficultati affatim satisfaciunt pereruditi FF. Ballerinii Differt. III. ad Oper. S. Zenonis cap. IV. §. I. ubi loquentes de antiquissimo & late pervagato S. Zenonis cultu, ita præfantur pag. CXXX. „Si quis antiquo„ rum Sanctorum virtutes & merita, quæ ex ipsis rebus gestis „ ob Actorum defectum cognoscere minime liceat, aliunde velit „ colligere; nullum certius & insignius monumentum suppetit, „ quam si antiquum longiusque pervagatum eorundem cultum „ ostendere quispiam possit. Etsi enim Sancti Viri semper in „ tota Ecclesia venerationi fuerint, ibique præsertim, ubi præ„ claris laboribus pro Deo & Ecclesia functi sunt, obitus ipso„ rum dies solemni ritu celebrata sit; antiquis tamen tempori„ bus non ita præcipuus eorum extitit cultus, ut statim post „ mortem invaluerit, & extra solum proprium longius prodi„ ret, nisi præcipua admodum ipsorum Sanctitas & celebritas „ fuerit, quæ eo major esse debuit, quo & citius a morte, & „ latius eorum cultus propagatus invenitur. Hinc plurium Epi„ scoporum, quos quævis antiqua sedes inter Sanctos colit, me„ moria inter exiguos fines circumscripta olim fuit, nec nisi ad„ modum paucis, qui celebriores fuere, contigit, ut aliis quo„ que in Urbibus atque provinciis colerentur &c.„ Atque cultus hujusmodi antiquitatem & propagationem in alicujus Sancti gloriam tanto magis cedere iidem Auctores animadvertunt: „Si „ Confessor tantum, non Martyr fuerit, cum vix ulli Confes„ sori, sed solum nonnullis Martyribus fere contigerit, ut an„ tiquis temporibus cultus extra proprium solum latiores limi„ tes produceret &c.„ Adde Ingenuini Sanctitatem constare, sin minus ex Paulo Diacono, ac antiquioribus Martyrologiis, saltem ex Diptychis antiquissimis, quæ comperta habuisse videtur Anonymus Mabillonianus, eandemque probari ex eo, quod memoriæ proditum Baronius legisse videtur in antiquis Codicibus, quos memorat in Not. ad Martyr. Rom. 5. Febr. iis verbis: *Aliqui Codices pro Genuino legunt Ingenuinum*, nempe ex eo quod hæ-

 reseos

refeos Arianæ cauffa exulem vitam egerit, atque exul obierit. Atque hinc forte in Diplomate Henrici Sancti ann. 1020. Martyr vocatur, dum Brixinenfis Ecclefia in eo dicitur *in honorem SS. Martyrum Caffiani & Ingenuini dedicata*. Id porro Agnello Tridentino accidiffe vola aut veftigium nullibi eft.

LXXIV. Quin imo, inquis, cum primum S. Ingenuini injiciatur mentio in prælaudato Henrici Sancti Diplomate, altumque fit in præcedentibus Diplomatibus de eodem filentium, uti legere eft in Diplomatibus Ludovici Pii, Ludovici IV. ac Conradi I. apud Rofchmannum pag. 24. videndis; hinc in proclivi eft inferre, prætenfam ejufcemodi fanctitatem novitium effe commentum, quod ferior ætas procudit fabulis quam feraciffima. Præfertim quia Baronius in Not. ad Martyr. Rom. 5. Febr. nulla proferre potuit Acta diftincta ab iis, quæ Petrus de Natalibus ex Bartholomæo Tridentino exfcripfit, quæve a veritate hiftoriæ circa Aquilejenfe fchifma oppido abludunt, ac prorfus abhorrent. Siccine? Sed quam fruftra fis, quifquis ita argutaris, illico aperiam. Quamvis enim in Diplomate Ludovici Pii ab Epifcopo Landfrido obtento anno 830. Francofurti in Palatio Regio 2. menfis Dec., nulla fit mentio fanctitatis Ingenuini, fed unice dicatur *Sabionenfis Ecclefia conftituta in honorem S. Caffiani Martyris*, five uti legere eft in alio Diplomate Ludovici IV. Imperatoris ad ann. 901. Zachariæ Epifcopo dato *ob Beatorum Stephani Protho-martyris & Caffiani venerationem dicata*, altumque fit itidem de eadem Ingenuini fanctitate filentium in Diplomate Conradi I. Neoburgi ann. 916. impetrato a Meginberto Epifcopo *Sabionenfis Ecclefiæ, quæ eft conftructa in honorem S. Caffiani Martyris*, atque hoc ipfum citra ullam mentionem fanctitatis Ingenuini expreffum quoque habeatur in alio Diplomate Ludovici IV. ad eundem Meginbertum Sabionenfem directo ann. 909. apud Hundium, five potius Gevvoldum; hoc non ideo eft, quod nondum Ingenuini obtinuiffet cultus, fed quia Ecclefia Sabionenfis, utpote cujus ipfe fundamenta jecerat, minime potuit titulum ejufdem præferre. Quei enim fieri potuerit, ut Ecclefia ab Ingenuino fnndata & aucta, dictitaretur in præfatis Imperatorum Diplomatibus *conftituta, dicata, conftructa* in honorem S. Ingenuini? Quafi vero Præful hic, illius Auctor, eam velle potuerit proprio nomini confecratam. Verum pofteaquam Sabionenfis fedes in Brixinenfem demigravit, ac in novam veluti evafit Ecclefiam, cum jam diu Ingenuinus Sanctus audiret ac effet apud omnes, ea mox ab ejus quoque nomine nuncupari cœpit. Hinc Henricus Sanctus Bam-

Bambergæ 1020. *Hærbardo Brixinensi Episcopo, & Ecclesiæ in honorem SS. Martyris Cassiani & Ingenuini dedicatæ* Diploma contulit. Hinc Conradus II. (a) ann. 1027. tradidit in persona Hartvvici *Sanctæ Brixinensi Ecclesiæ in honorem SS. Cassiani Martyris, nec non Ingenuini Confessoris constructæ Comitatum* &c. Hinc Henricus IV. ann. 1078. donavit sub Altvvino Episcopo Sanctæ Ecclesiæ Brixinensis *S. Ingenuino præfatæ Sedis Tutori invictissimo Bona aliqua in Pago Passyr*. Hinc idem quoque Henricus IV. ann. 1081. sub eodem Altvvino Episcopo dono etiam dedit *Comitatum situm in Valle Pustrissa, & duos mansos* (b) *servorum in eodem Comitatu posito-*

(a) Hic ille est Conradus apud Gallos Germanosque Scriptores hujus nominis secundus, sed apud Italos primus, ob Conradum Franconem Decessorem suum, ab aliquot quidem Imperii Proceribus, Ludovico Imperatore de Gente Carolovingica ultimo ano. 912. mens. Decemb. mortuo, Imperatorem salutatum, sed a Romano Pontifice Imperii corona, ut tunc moris erat, nunquam donatum; hic, inquam, ille est Conradus, qui itidem juxta ejus Diploma datum Brixiæ prid. Kal. Jun. Indict. X. ann. 1027. Regni ejusdem tertio, ac Imperii primo, in perpetuum dedit, tradidit, atque confirmavit Udalrico Episcopo Tridentino, suisque Successoribus, Comitatum Tridentinum cum omnibus suis pertinentiis & utilitatibus, quibus eum Duces, Comites, sive Marchiones eo usque habere visi fuerant, ob venerationem Sanctæ Tridentinæ Ecclesiæ, in qua pretiosorum Martyrum *Vigilii, Sisinii, Martyrii*, atque *Alexandri* corpora requiescunt &c. Id ipsum repetitum legitur in Donatione Vallis Venustæ ac Bulsani facta ab eodem Conrado II. eidem Udalrico II. anno mox sequente, uti legere est in Addit. Clar. Vir. Jo. Bened. Gentilotti insertis Tom. V. Ital. Sacr. Ughell. nec non in *Memorie Historiche* Tartarotti pag. 57. Porro sicut ex hac expressione innuitur cultus antiquus in Imperio exhibitus SS. MM. Tridentinis, ita ex simili verborum tenore colligitur antiquitas cultus in Imperio delati SS. Confessoribus Brixinensibus. Nota heic obiter, in vim Diplomatis a Conrado lati, Tridentinos Episcopos habuisse sibi subjectam Vallem Lagarinam universam subtus Tridentum positam, atque ad Clusam usque Veronensem protensam, insignemque ejusdem partem Feudi titulo contulisse antiquissimæ Castrobarcensium Familiæ, uti monet *Astrealis Vicariatuum Defensio* mox ab initio.

(a) De *Mansis* ita habet Simon Petrus Bartholomæi J. C. in erudita Dissert. de Tridentinarum, Veronensium, Meranensiumque Monetarum speciebus & valore cap. X. pag. 46. „ *Massaricia* erant Prædia Principum, Nobilium, & Divitum in Pagis existentes, teste Muratorio in Antiq. Med. „ ævi sparsim, & Brunacio de Re Monetaria Patav. Hæ *Massaricia* sæculis XII. XIII. & sequen. *Mansus* „ vocari cæperunt, ut apparet ex Veter. Juris Consultis, & Glossa ad textus, nec non ex Fontanino in Dissert. de *Masnatis*. „ Mansorum tamen obtinuisse nomen jam sæculo XI. ex præcitato Diplomate in propatulo est. Quin imo in eadem significatione *Mansorum* nomen adhibitum sæculo VIII. comprobat Instrumentum authenticum apud Meichelbeckium fol. mihi 51. ubi Auctor eruditissimus Lectorem antiquiorum vocabulorum minus peritum monet: „ Vocabulo *mansus* intelligi certam mensuram agri, uti recte monemur apud Freherum in *Glossario vocum semilatinarum ac barbararum*, Tomo primo in nova Editio- „ ne

positorum, & *loco Rischone*, *SS. Cassiano & Ingenuino Patronis S. Brixinensis*. Jam quæro, an non Sancti nomen, æque Ingenuino, ac Cassiano tributum, satis fuerit ad judicium de singulari ejus sanctitate ferendum (a)? An non etiam Brixinensis Ecclesia sub faustis auspiciis SS. Cassiani & Ingenuini recens erecta satis indicat, quod sicut electus est in ejus Patronum Cassianus, velut in Sabionensi nuper translata Ecclesia prisco cultu donatus, eodem quoque veteris cultus titulo fuerit & Ingenuinus in ejusdem Tutorem cooptatus? Si ex constructione, dedicatione, ac constitutione

---

„ ne Argentoratensi adiecto. *Mansus* „ *vestitus* idem nobis est, ac *mansus* „ *cultus*: qualis nempe opponitur *manso apso*, seu non culto: id quod colligimus ex celebri illo Arnonis Salisburgensis Instrumento, quod Diikerus in suo Chronico sub eodem Arnone refert, in quo multiplex mentio occurrit de *mansis vestitis* & *apsis*, „ & inter alia de quodam terræ spatio „ dicitur, quod jaceat *apsum*: quo vocabulo quod intelligemus, nisi agrum „ *non cultum*? „ Adnotavit quoque Marchio Maffejus Veron. Illustr. L. VI. col. 129: *Maso si dice tuttora nel Trentino comunemente per possessione o tenuta da Massa o Mansum*. Videatur etiam de alia significatione Lib. XI. col. 317.

(a) *Sancti* denominationem primis Ecclesiæ temporibus Religionis potius, quam profitebantur Christiani, quam probati cujusque moris indicium fuisse, tradit Spondanus in Epitome Annalium Card. Baron. ad ann. Christi 43. num. 4. unde intulit Eminentissimus Lambertinus, modo P. M., Lib. 4. de Canoniz. Sanctor. part. 1. cap. 27. num. 14. unum *Sancti* titulum parem haud esse, ut corpora e catacumbis eruta sacro cultu honestentur: Successu tamen temporis, teste eodem Spondano, extra controversiam est obtinuisse morem, ut illi tantummodo in Ecclesia nuncuparentur *Sancti*, qui eminentiori probatiorive morum sanctitudine præfulsissent: Observat quoque Macedo in Commentat. Eccl. Polem. Cap. XVII. pag. mihi 286, vel ad usque Augustini tempora, & ultra *commune* fuisse & *officiosum Sancti* nomen: „ Passim (inquit) in Ecclesiasticis Epistolis, ac „ imprimis Augustini, occurrunt exempla, a quo item memini Pelagium „ *Sanctum* appellari: quem sæpe & „ multum commendat, quamquam postea doluit commendasse Lib. 2. Retract. cap. 33. „ Postea tamen *Sancti* nomen alio sensu usurpari cœpit. Haud eo inficias, satis minime esse, ut Sanctitatis nomen Ingenuino tribuatur, unum Petri de Natalibus testimonium in Catal. Lib. 3. cap. 85, quum de eo pronuntiarit ac præmonuerit ex Longeval in Hist. Eccl. Ecclesiæ Gallicanæ tom. 1. Lib. 3. pag. 397. in Not. sub litt. a. Romanus Pontifex Benedictus XIV. in Litt. Apostol. ad noviss. Martyr. Rom. Edit. num. XLV, æque ac de Saussajo: „ Optandum esse, ambos ea auctoritate fuisse donatos, „ quam non habebant, & quam habere sibi falso persuaserant; „ quod ipsum quoque dici potest de Paolo Diacono, Bartholomæo Tridentino, ac Petro Calo. Non vero si de præfatis veterum Imperatorum Diplomatibus sermo sit, cum idem Pontifex Maximus in iisdem Litteris num. LIII. pro firmanda Sanctitatis fama, quæ Siricium Rom. Pont. adhuc superstitem commendabat, protulerit, velut splendidum, Valentiniani Imperatoris in Epistola ad Pinianum Urbis Vicarium sive Præfectum data testimonium.

tione Brixinensis Ecclesiæ in honorem S. Ingenuini fas sit arguere recens tunc invectum ejus cultum, quid ni liceat de recenti S. Cassiani cultu idem inferre? Fierine ulla ratione potest, in amborum honorem fuisse Brixinensem Ecclesiam constructam, dedicatam ac constitutam absque eo quod jam diu in antecessum fuerint pacifica antiqui cultus possessione potiti? Nunquid quia Ecclesia Cathedralis Brixinensis ann. 1237. primum consecrari cœpit *in honorem B. Apostoli Petri, & BB. Pontificum Ingenuini & Albuini*, cum antea Patronos unice veneraretur *B B. Apostolum Petrum & Ingenuinum*, inde inferre pronum erit, toto retro tempore D. Albuinum cultu ecclesiastico penitus caruisse? Nonne ex Actis SS. Ingenuini & Albuini constat, Ingenuini Reliquias fuisse a Sabiona Brixinam translatas, atque illic cultui Fidelium expositas, tum quoque a Deo crebris miraculis (*a*) illustratas? Ergo jam ante in Sabionensi Ecclesia a piis Fidelibus quam religiosissime colebantur. Hac porro longæva eaque pacifica possessione cultus stante, facile convelluntur ac dejiciuntur conjecturæ omnes ex adverso congestæ, queis non nemo ambiguam reddere nititur Ingenuini primi Sabionensis Antistitis sanctitatem. Quippe vulgatissima est Legum paræmia: *melior est in dubio conditio possidentis*. Præsertim cum ejuscemodi possessio, uti supra adnotavimus, fuerit a Viris Sanctis probata, puta a S. Albuino, S. Henrico, B. Hartmanno, B. Eberhardo &c. quos, quis dicere audeat, suum cultum viro ad obitum usque in schismate obfirmato superstitiosissime detulisse? Integrumne versare animo, iis, caussæ cognitionem ignorantibus, vulgi rumorem ita fucum fecisse, ut passi fuerint sibi pro re certa ac vera hujusmodi fabulam venditari? An non potius maxime probabile, eos nihil prætermisisse, ne in re gravissima Religio-

(*a*) Ne quis miraculorum probationem parvipendat, illud obstat, quod prudentissime monet Maffejus pag. 52. Edit. secun. *dell' Arte Magica dileguata*: „ *Non bisogna dedurne, che a virtù naturale si debba sempre attribuir tutto; quasi il supremo Autore della Natura si fosse in certo modo legate le mani, e non si compiacesse qualche volta, condescendendo all' intercessione de' suoi Servi, ed alle preci di noi meschini, di far grazie, che superano manifestamente le forze concedute da lui alla natura* &c. Certe Anonymus Pipinianus in Rhythmo apud eundem Maffejum Veron. Illustr. col. 370. de S. Zen. Veron. Episc. cecinit:

Non queo multa narrare hujus Sancti opera,
Quæ a Syria veniendo usqoe in Italiam,
Per ipsum Omnipotens Deus ostendit mirabilia.

ligionis deciperent deciperenturque? Nunquid B. Hartmannus Brixinensis Episcopus (*a*), de quo supra, religioni minime duxisset, reliquias Ingenuini Schismatici Episcopi una cum reliquiis venerabilibus de ligno, in quo passus Andreas, SS. Martyrum Georgii, Vitalis, Cassiani, Colomanni, SS. CC. Albuini, Gisilarii, SS. VV. Eufemiæ, Valpurgæ, in Altari anno CIƆCXL. (*b*) in honorem S. Dei Genitricis Mariæ, SS. AA. Andreæ, Jacobi, dicato, recondere atque confundere, uti perhibetur in membranis Pollingensibus apud Raderum atque Roschmannum? Adde Documentum authenticum sæculi X. in Membranis adservatum in Arce Brix. Episcopali, uti ex Guarinonio & Engl testatur Reschius a pag. 33., in quo Documento, sicut supra a nobis adnotatum, laudatur Monasterium jam antea constructum sub titulo *S. Stephani & B. Ingenuini*. Nec non quod memorat idem Reschius a pag. 20. ,, De Veneratio-
,, ne S. Ingenuini habeo, quod addam, eandem sæculis XI.
,, XII. XIII. fuisse longe maximam. Habemus Diploma Ale-
,, xandri IV. qui an. 1257. *Ecclesiæ Brixin. S. Ingenuini* (ut ver-
,, ba sonant) *vocabulo insignitæ* 100. *dierum indulgentias* concessit.
,, An. 1237. Eberhardus Archi-Epiepiscus Salisburgensis Eccle-
,, siæ Brix. a se recens consecratæ SS. Ingenuinum & Albuinum
,, Patronos assignavit, eamque sacris favoribus auxit. Extat
,, diploma. Ad hæc indulgentias 40. dierum die dictis Pontifici-
,, bus sacra concessit Engelbertus Coloniensis, Henricus Trevi-
,, rensis, Guido Viennensis Archi-Præsules, Conradus Argen-
,, tinensis, Hildprandus Ayhstettensis, Volradus Halberstatten-
,, sis, Otto Hildesheimensis, Aymo Vercellensis, Hermanus
,, Zvvyrmensis, Meinherus Naumburgensis, Bonifacius Clanda-
,, tensis ex Concilio Generali Lugdunensi an. 1274. diplomata
,, eorun-

(*a*) *Beatitatis* ac *Sanctimoniæ* titulum Hartmanno Brixinensi adtribuit, nedum Chronicum Salisburgense apud Canisium, ac Kalendarium antiquissimum apud Roschmannum, de quibus supra, verum etiam Metropol. Salisb. Hund. a fol. mihi 298. Historia Salisburgensis apud Mezgerum *L.* 3. cap. 5. pag. 241., Proprium Brixinense de S. Leopoldo XV. Novembris, Hier. Petius de Reb. Austr. &c.

(*b*) Quanti faciendum sit hoc Documentum, licet duntaxat duodecimi sæculi, patet ex Documento haud absimili undecimi aut duodecimi sæculi, inter Antiquitates Veronenses a Panvinio relato, atque a Maffejo laudato Lib. XI. Veron. Illustr. col. 342. in quo reliquiarum habetur notitia, ac corporum pleroumque Sanctorum Præsulum Veronensium, adeo ut ex eo Maffejus minime dubitarit inferre: *Eccone già dieci venerati come santi fin negli antichi tempi*.

„ eorundem in Archivio Reverendissimi Capituli servata ipsius „ inexhausta aviditate legi & relegi. An. 1603. Cels. & Reverendissimus Episc. & S. R. I. Princeps Brix. Christophorus „ Andreas Baro a Spaur (quem p. m. Pr. & Episc. Casparus Ignatius veridico vivæ vocis oraculo alterum Cassianum vocitavit) „ honoribus SS. Ingenuini & Albuini insigne Mausolæum erexit „. Cui accedit quoque sæpe memorati Anonymi Mabilloniani testimonium de *Ingenuino Almo*, sive Sancto. Id autem, quod de Baronio subditur minime agnoscente alia Acta distincta ab iis, quæ Petrus de Natalibus ex Bartholomæo Tridentino deprompsit, inde refutatur, quod Baronius compertos habuerit Codices alios, quorum ipsius primo loco memorat, forte quia antiquitatis prærogativa cum primis nominandos. Certe Codices Baroniani testantes de *Ingenuini* ac *Albuini vita miraculis gloriosa*, non erant Codices Pauli Diaconi, Synodi Gradensis, aut Mantuanæ; cum ii de Albuino posterioris ævi Episcopo nihil habere potuerint, ac etiam de Ingenuini Vita miraculis clara nihil præferant, uti quoque de hoc silent Batholomæus & Petrus. Neque etiam Codices, ad quos respexerint Bellinus atque Molanus; cum in illis non *Ingenui* aut *Genuini* nomen legatur, sed *Gemini*, non *Brixinonis*, sed *Civitatis Brixinæ*, non duntaxat *SS. Episcoporum*, sed *SS. Confessorum & Episcoporum* (a). Nihilve innuat Baronius de Bellino, Molano, sive Usuardi Auctariis. Fuerunt ergo Codices ab his omnibus distincti, atque antiquitate plane digni, quibus fides adhibeatur. Si dixeris, Baronium plus æquo detulisse Petro de Natalibus, atque ex eo etiam factum, ut Martyrologio Romano Ingenuinum intruserit: Petrum namque ipsum de Natalibus in Notis ad 5. Febr. præcipue laudat; quid ni dixerim ego, intrusisse quoque eidem Romano Martyrologio, fuisse D. Cassianum *Sabionensem Episcopum*, cum itidem in Notis ad 13. Aug. Petrum de Natalibus præcipue laudet id disertissime habentem? Sicut igitur in hoc, ita in illo, eidem Petro plus justo nequaquam tribuit laudatus Baronius.

LXXV.

(a) Idipsum dixerim de Galesinii Martyrologio, in quo ita lego Nonis Februarii „: Brixia, Sanctorum Con- „ fessorum Ingenuini & Albini: hic „ Brixiensis, ille Sabionensis secundus „ Episcopus fuit, cujus corpus multis „ post annis a Constantio ejus succes- „ sore ad eam Urbem translatum est. „ Utriusque Vita illustris est, multis „ rebus divine mirabiliterque gestis „. In Notat laudatur *Martyrolog. MS.* in quo nomina *SS. Ingenuini & Albini* commemorantur.

R

LXXV. Poſtremo temperare mihi nequaquam poſſum, quin ad cumulum addam, quod ſi Maſtulo, ſive Maſtalo, quem proxime ſecundum poſt Ingenuinum Anonymus Mabillonianus collocat, idem ipſus fuerit ad quem S. Gregorius litteras miſit, eo nomine ab ipſo commendatus, *quod pro amore unitatis Eccleſiæ tantus illum divini Zeli ardor accenderit, ut quoſcunque voluiſſet, non deſierit ad ſinum Matris Eccleſiæ revocare*, quemadmodum haud ab omni prorſus abhorret veri ſpecie, fuiſſe Maſtalonem Sabionenſem, hoc ipſo titulo dignum, ut poſtea in Sabionenſi Sede mox Ingenuinum exciperet: nova habetur conjectura de Ingenuini reditu ad Eccleſiæ unitatem. Ubinam enim Maſtulo ille ſuum pro Eccleſiæ unitate conciliandа explicuerit Zelum, niſi ubi poſtea in Epiſcopum eligi meruit? Nec video quo jure hanc conjecturam poſſit reſpuere, qui illam lubenter amplectitur.

CAPUT V.

Revocantur ad examen reliqua Roſchmanni Reſponſa ac Momenta.

LXXVI. QUum hactenus ſatis, opinor, oſtenderim jure quidem ac merito Roſchmannum Sanctitatis titulo ornaſſe Ingenuinum Sabionenſem; non tamen Agnellum Tridentinum, non quidem quod veriſimile non ſit, vel ab ipſo ſchiſma fuiſſe ejuratum, ſed quod illi Tridentina Eccleſia nuſquam cultum detulerit; illud inſuper pronuntiari poſſe videtur, quod rurſum repetere adigimur, nimirum, quod ſicut quia in domeſticis Hundii, Welſeri &c. Catalogis primo loco S. Caſſianus commemoratur, conjectavit Adverſarius, ipſum vere fuiſſe Sabionenſem Præſulem; eodem jure licebit conjicere, quod quia in iiſdem deſiderantur ii omnes Sabionenſes Præſules, quos Roſchmannus ad latiſſimum implendum interſtitium, Caſſianum inter & Ingenuinum medium, inferre nititur, tanquam ſuppoſititii habendi ſint. Præſertim cum *Catalogum Hundii, ejuſque monumenta manca ac parum integra* minime exiſtimet. Porro ſicut ſuppoſititii videntur plures Epiſcopi Sabionenſes, qui ante Ingenuinum a Roſchmanno ponuntur, ita quoque commentitii videri poſſunt plures, qui poſt Ingenuinum in Sabionenſium Præſulum Catalogis collocantur, penitus Mabilloniano Anonymo ignoti;

cum

cum plurium nuda habeantur nomina, omni nota. chronologica destituta, ac certum sit, in Provincia Noricorum, quæ Bajoaria dicitur, quæve Sabionam juxta Codicem Membranaceum supra laudatum complectitur, temporibus ante S. Rupertum I. Salisburgensem Episcopum, Ecclesias caruisse certis Episcopis, uti testatur Arnolphus Vohburgensis apud Hansizium de S. Ruperto pag. 39. „ Quia enim (inquit) nuper Christianitatem acceperant Norici, immiserant se illis Hæretici, qui ut in aliis Regionibus facere consueverant, fas ibi nefasque confuderant: „ Horum alii (quod in Bajoaria absque certis Episcopis erant „ Ecclesiæ) se dicentes Episcopos esse; alii Presbyteros; alii diversi Ordinis Clericos adinventiones suas technis quibusdam „ subornabant, sicque Populum cum Principibus seducebant „ &c. „. Hæc Arnolphus, qui apud Meichelbeckium laudatur tanquam *Scriptor gravissimus*, *& Ratisbonensium antiquissimus*, *Comes*, *& S. Emmerami Monachus*. Refert quoque ex Aribone Meichelbeckius: Sanctum Corbinianum Episcopum Frisingensem venisse an. 723. in Bajoariam adhuc *rudem ac nuper ad Christianitatem conversam ac novitiam*. Testatur quoque idem Hansizius in Metropol. Salisburg. pag. 41. 88. ac 89. de conversione Carinthiæ ad Christianam fidem tentata a S. Ruperto, & a S. Virgilio perfecta (*a*). Quod si post Ingenuinum difficile fuerit Sabionam tot obtinuisse Præsules, quot vulgo, in Catalogis enumerantur, quanto magis tot ante Ingenuinum nactam fuisse, quot a Roschmanno contra fidem ipsam Catalogorum multiplicantur? Hinc Roschmannus ipse pag. 22. ac 107. S. Valentinum primum Passaviensium agnoscit Episcopum, ac Rhætiarum Apostolum, cujus proin magnum in Tyroli a sæculo V. nomen. Dein dissonantia ipsa Catalogorum probabile præbet suppositionis indicium. Conferantur Catalogi Hundii, Velseri, ac Reschii. Insuper aut ea sunt antiquitate Catalogi, quibus Sabionensis S. Cassiani Præsulatus adstruitur, ut piaculum sit fidem illis detrahere, vel non? Si Adversarius adfirmet; cur ergo negat pag. 32. Catalogos anti-

(*a*) Caranthanorum sive Carinthiorum conversionem inter præclara S. Paulini II. Patriarchæ Aquilejensis gesta recenset Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ: *Prædicationi* (inquit) *quoque Evangelicæ vacabat, qua Carinthiæ populos, & nationes finitimas ad fidem Christi perduxit*. Sed ex iis, quæ Marcus Hansizius, aliique probati Scriptores latius disserunt de gente illa, patet ad Carinthiæ conversionem S. Virgilium Episcopum Salisburgensem operam contulisse, uti etiam ingenue confiteri coactus est Rubeus in Monum. Aquil. cap. XLII. num. V.

antiquissimos primorum Præsulum in omnibus Episcopatibus usque ad sæculum decimum ullibi videri, oblitus Catalogi, quem nono sæculo præfatus texuit Anonymus? Si neget; cur ergo adfirmat illis certo credendum adferentibus Sabionensem S. Martyris Imolensis Episcopatum? Si ipsis ajentibus habenda fides, an neganda iisdem silentibus? Nonne Auctor pag. 23. ex silentio omnium Catalogorum exsuflat Walasseri commentum de sacro Cassiani corpore Sabionæ aut Brixinæ requiescente? Quidni ergo ex ipsissimo silentio itidem fas fuerit refellere omnia, quæ ipse dictitat de Sabionensibus Episcopis Cassianum inter & Ingenuinum mediis? Nonne eos penitus ignorarunt Bartholomæus, Petrus Calo, Petrus de Natalibus, ac Consarcinator Fastorum Brixinensium? Nihilque prorsus de iisdem scierunt Hundius in Metrop. Salisb. Galesinius in Martyrol. Baronius in Not. ad Martyrol. Rom., ac omnium antiquissimus Anonymus Mabillonianus de Ordine Comprovincialium Pontificum quam luculentissime differens ut ex hactenus dictis satis superque patet? Nunquid eos legitimis tabulis roborat, dum ad conciliandam fidem adhibet modo Ferrarii, Actorumque Bellunensium, modo Synodi Gradensis testimonia? Sed Ferrarii, Actorumque Bellunensium testimonium extrarium ac novitium est, adeoque minime ad promerendam fidem idoneum; de Actis notanter Synodi Gradensis haud diffiteri potuit Roschmannus pag. 66. *Rubeus*, *Mansius*, *Scipio Maffejus*, *aliique Acta Synodi Gradensis si non conficta saltem suspecta affirmant* (*a*). Ex Actis autem seu confictis seu suspectis, ni me omnia fallant, plane non video, quid certi possit exsculpi, ut

(*a*) Cl. Vir Bernardus de Rubeis in Monum. Eccl. Aquil. cap. XXVIII. Num. I. non vocat illa Acta si non conficta, saltem suspecta, sed disertissime inquit: *Eadem Acta Synodi Gradensis, Epistolamque Pelagii II. ad Eliam datam paullo attentius expendenti conficta mibi videntur illa & suppositetia*. Consentit Marchio Maffejus L. X. Veron. Illustr. col. 277. *Quel Documento dato fuori più volte come il primo de' nostri, e registrato nell' Italia Sacra, non solamente è falso, ma venne molti secoli fa con sì poca avvedutezza finto, che perduta opra sarebbe il farsi a mostrarne l' insussistenza, la quale ad ogni occhio mezzanamente erudito da se si palesa*. Mansius Auctor alias mihi notus modo mihi ad manus non est, ut de eo certior fiam. Lego tamen apud Reschium pag. 17: *Hanc Synodum* (Gradensem) *plane esse commentitiam convincit P. de Rubeis apud Mansi &c.* Illius Synodi Episcoporum Catalogum esse corruptum Amanuensium oscitantia, ac negligentia agnovit Eruditus Vir D. Joann. Lud. Schonleben in sua Carn. Consulendi in hanc rem. FF. Ballarinii in Dissert. de Patriarch. Aquilejen. Orig. Tom. IV. Oper. Card. Noris, pag. 1051.

ut adeo asseveranter scribere Auctor potuerit pag. 162. *Falsum esse adversariorum assertum certo certius apparet, nullos nempe fuisse ante S. Ingenuinum Episcopos &c.*

LXXVII. Age vero paulisper periclitemur, an firmiori talo ipse nitatur, dum novos in lucem profert Sabionenses Antistites, qui Ingenuino præiverint. Ante hunc ergo Sabionenses præfuisse Episcopos probat cum pag. 64. tum latissime pag. 143. & seqq. testimonio Episcoporum Schismaticorum Istriæ, & Venetiarum, præcipue Ingenuini Sabionensis, & Agnelli Tridentini, qui vehementer conquesti sunt, Galliarum Archiepiscopos tribus in Ecclesiis Concilii sui Aquilejensis sibi sumpsisse Episcopos consecrare, nempe in *Beconensi*, *Tiburniensi*, & *Augustana*, ubi per *Beconensem* intelligit Roschmannus *Brennensem*, & per *Brennensem* Sabionensem. Probabiliter quidem, ut ego nequaquam diffiteor, haud ea tamen certitudine, quæ vim conjecturalis probationis excedat, quæve sinat jure scribere, quod ipse inquit pag. 159. *Nemini dubium hærere amplius posse, controversum hunc locum de sola Sabionensi Ecclesia explicari posse, imo debere*: Enim vero sicut propriis nominibus appellatæ sunt geminæ Ecclesiæ Tiburniensis & Augustana, ita quoque si de Sabionensi præfati Præsules locuti fuissent, proprio nomine vocanda erat, nempe aut juxta Itinerarium *Sublaviensis*, aut juxta Tabulam Peutingerianam *Sublabiensis*, aut juxta Paulum Diaconum *Savionensis*, aut juxta Synodum Gradensem, & Mantuanam *Sabionensis*, aut demum juxta Anonymum Mabillonianum *Sebanensis*, quæ omnia vocabula antiquæ Geographiæ terminos præseferre ambigendum non est.

LXXVIII. Sed juverit partem Epistolæ ab Aquilejensibus ex Synodo Marianensi (*a*) ad Mauritium Orientis Augustum delatæ, non mutilam, uti a Roschmanno, sed integram exhibere, ut in propatulo sit, tempore Justiniani, qui ad Imperii clavum sedere cœpit an. 527., Francos jam in Norico summa rerum potitos, ac eorum Archiepiscopos ab Aquilejensibus haud longe absfuisse. Hæc ergo scripsere „ Galliarum Archi-Episcopi „ vicini sunt; si quem de nobis defungi contigerit, ad ipsorum „ sine dubio ordinationem accurrent, & sic dissolvetur Metro-

„ poli-

(*a*) Marianum, ubi prædicta Schismaticorum Synodus coacta est, perperam confundi cum vetere Celina, & hodierno Maniaco, idemque videri ac Oppidum Maranum ad littus Adriaticum in Provincia Forijulii, ostendit Maffejus Veron. Illustr. L. 10. col. 278. ac Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. cap. XXX. per totum.

„ politana Aquilejensis Ecclesia sub vestro Imperio constituta ; „ quod ante annos jam fieri cœperat, & in tribus Ecclesiis nostri Concilii, idest *Beconensi*, *Tiburniensi*, & *Augustana* Galliarum Episcopi constituerunt Sacerdotes; & nisi ejusdem tunc „ Divæ memoriæ Justiniani Principis jussione commotio partium nostrarum remota fuisset, pro nostris iniquitatibus pene „ omnes Ecclesias ad Aquilejensem Synodum pertinentes, Galliarum Sacerdotes pervaserant „. Hactenus Schismatici Aquilejenses, ex quibus bene colligit Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. cap. XXI. col. 90. *His temporibus Galliarum Archiepiscopi fines Aquilejensis Metropoleos pervaserunt, tres eripuerunt Ecclesias, eisque Sacerdotes aut Episcopos præfecere*. Nota disjunctivam *aut*, quasi per *Sacerdotes* non necessario Episcopi intelligendi veniant. Censet ex his etiam Hansizius Tom. I. Metrop. Laur. cap. XVII. pag. 94. Francorum ditionem tempore Justiniani ad Noricos & Aquilejenses usque fuisse longe dilatatam, ac Galliarum Archiepiscopos fuisse Aquilejensibus proximos, adeoque per *Beconensem* Ecclesiam nil commodius inteligi quam *Betovensem* sive *Petovensem*, quæ juxta Dravi Fluvii cursum *Teurniensi*, sive *Tiburniensi* contermina est, tuncque ad Aquilejensem spectabat. De quo Petovio Noricum Oppido Itinerarium Hierosolymitanum, Ammianus Marcellinus, Zosimus, & alii.

LXXIX. Nec video quomodo oportuerit ab hac lectione recedere Hansizium tum in Corollariis Tom. altero Germ. Sacr. suamque mutare sententiam, legendo loco *Beconensis Bernensem*, & per *Bernensem* interpretando *Veronensem*; cum haud ignorare debuerit nusquam sub Francorum jugo ingemuisse Veronam, nusquam ab Scriptoribus Italis, qualis Libelli Schismatici Consarcinator fuit, Bernensem vocitatam, nec talem a Germanis ipsis ante decimum sæculum usquam appellitaram. Videatur Gasparis Berettæ Chronologia Italiæ medii ævi Tom. X. Script. Italiæ a Muratorio præfixa, nec non Verona Illustrata Marchionis Maffeii a nobis hactenus pluries laudata. Addiderim Ecclesiam Betovensem sive Petovensem in Pannonia vocari quoque posse *Brennensem* sive Breunensem, prout nempe Brennenses sive Breunenses populi sunt Pannoniæ sive Illyrici, de quibus Svetonius Tiberio cap. IX. *Rhætico atque Vindelico* (bello) *gentes alpinas: Pannonico Breucos & Dalmatas subegit*; ac Strabo L. 4. *Vindelici & Norici montana exteriora tenent magna ex parte cum Breunis & Genaunis, qui jam ad Illyricos pertinent*. Et L. 7. *Gentes Pannonum*, inquit, *sunt Brenci*, quos in Pannonia quoque ponit Ptolomæus L. 5. cap. 16.

cap. 16. Victorinus Episcopus Petoviensis commemoratur ab Hansizio apud Roschmannum pag. 70. Nec desunt qui Noricum hucusque extendunt, namque ait Ammianus Marcellinus L. XIV. cap. XXXVII. *Venit Petobionem Oppidum Noricorum*. Quare cum nedum Rhætiæ, & Noricum, sed aliæ Provinciæ omnes extra Italiam, præfato Justiniani tempore cesserint Gallis, uti colligit ex Agathia, Rubeo, & Ekardo ipse Rosehmannus pag. 155., haud inverisimile prorsus esse, quod ad Petoviensem usque Ecclesiam eorum ditio pervenerit.

LXXX. Potest quoque per *Beconensem*, sive *Becunensem* Ecclesiam haud minus commode accipi *Bellunensis*, quæ & ipsa Tiburniensi contermina est, ac modo sua etiam habet confinia cum Brixinensi, atque adhuc Aquilejensi subjecta manet. Lectio vetus cum habeat *Becunensis*, non est facile penitus transformanda in *Bernensem*, *Brennensem*, *Bremensem*, *Veronensem*, *Sabionensem*, quæ nihil adfine ac simile eum *Becunensi* habent; sed quærendæ aliæ Ecclesiæ, quæ stante Historiæ veritate ab ipsa parum abludant, uti sunt Petovensis, ac Belunensis. Certe Belunensem Ecclesiam ditioni Francorum fuisse subactam, non video, quei verti possit in dubium, eum plane constet, Theodobertum Regem Duces suos in Italiam misisse, videlieet *Bucelinum*, *Lanthacarium*, & *Hamingum*, qui nullo negotio Venetiarum pleraque in Regis sui ditionem redegere, uti Procopius L. III. narrat; *cum neque Romani ea loca tutari possent*, *neque Gothi novum bellum ad vetus adjungere*, quemadmodum etiam monet Ekardus Rer. Franc. Orien. L. V. de Theodoberto Rege pag. 71. *Hunc Theodobertum tributariam fecisse Agri Veneti maximam partem* infert idem Procopius L. IV. cap. XXIV. ac repetit hoc ipsum eodem L. IV. cap. XXVI. Narsete in Italiam an. 551. misso, *Agri Veneti loca tenuisse præsidiis Francos*, *& Veronam Gothicæ ditionis Urbem fuisse*. Discimus quoque ex Agathia Scholastico L. II. *Leutharim*, Francorum exercitus Ducem, *Pado transmisso*, *in Venetiam deflexisse*, *Cenetaque constitisse*. Ceneta autem Belluno proxima est. Scio quidem esse qui legunt in Agathia scribente de Imperio & Rebus gestis Justiniani Imperatoris *Cenestum* sive *Cenesam* pro *Ceneta*, at novi quoque illam lectionem, velut corruptam, fuisse a Cluverio notatam: *Cenetam* etiam nominat Paulus Diaconus L. 2. c. 13. & ante Paulum Venantius Fortunatus L. 4. de Vit. S. Martini.

Per Cenetam gradiens & amicos Duplavenenses.

Constat itidem Bellunum ipsum ad Rhætiam quoque spectare, nec

nec minus in Rhætiæ finibus situm, ac Feltriam a Rhætis conditam, juxta Descript. Ital. F. Leand. Albert. pag. mihi 391. quum magis ad Septentrionem vergat, ac montes habeat in Rhætiam extensos, atque in iis Villas plures germanico idiomate nominatas juxta eundem Leand. Albert. cit. Unde inquit Cellarius Geograph. antiq. L. II. cap. VII. num. XXVIII. pag. mihi 425. „ Supra „ Feltriam *Belunum* est hodie *Belluno*. Plinius Lib. IV. cap. XIX. „ *Opitergium* , *Belunum* , *Vicetia* . Ptolomæus βιλοῦνον, *Belunum* . „ Uterque tribuit Venetis (*a*), quorum fines in Alpes & Rhæ- „ tiam

(*a*) Hic pulsat animum quæstio, quei recenseatur a Plinio inter Rhætica Oppida Belunum, si juxta eundem Plinium spectabat ad Venetos? Sed præsto est responsum ex eodem Cellario, Venetorum fines in Rhætiam & Alpes excurrisse. Et sicut, teste eodem Plinio, Verona partim pertinebat ad Euganeos, in plano videlicet versus Orientem ac meridiem, partim ad Rhætos, nimirum in Alpibus versus Septentrionem; haud absimile ferendum de Belluno judicium. Ni quis dicere malit, Bellunum ad Venetiam pertinuisse in re civili; ast in re militari ad Rhætiam, *ad Rhaticas*, inquam, *Cohortes*, *Rhasitumque Exercitum*, quorum mentio fit apud Tacitum, Numismata &c. Vid. March. Maff. Veron. Illustr. Lib. 8. col. 177. Si ita sit, cur ergo, inquies, Plinius distincte nominavit *Belunum* a *Berunensibus*? Ajo nominasse postea *Berunenses*, sicut *Fertinos*, adeo ut sicut error est in voce *Fertinos*, dum Librarius *r* suffecit in locum *l*, legendumque cum Cellario non *Fertinos*, sed *Feltrinos*; ita plane ex eodem Librarii errore accidit, ut *r* fuerit substitutum in locum *l* in voce *Berunenses*, nec proin legendum *Berunenses*, sed *Belunenses*. Quod si, teste Plinio, Feltrini inter Rhætos enumerentur, quid ni & Belunenses, utpote magis ad Rhætiam interiorem vergentes? Quis nesciat supra Feltriam esse Belunum? Forte etiam dici potest, quod cum Plinii ævo nomen Belunum ac Berunum idem forte significaret, uti modo nomen Vicentiæ & Vicetiæ, Tyrolis & Teriolis, Viennæ & Vindobonæ &c. voluit utrumque usurpare. Itaque Rhætica Oppida Feltrinorum Belunensium, Tridentinorum, eam Rhætiæ complectentia portionem, quæ Italiæ proxima erat, maxime post divisionem Constantinianam, eo fere priscis temporibus ponebantur modo in Regione Italiæ ac in Venetiarum Provincia, quo apud Stephanum & Constantinum Porphyrogenitum laudatos a Maffejo Lib. 10. Veron. Illustr. col. 284. Dalmatia *in Regione Italiæ* collocabatur, ac Sirmium Urbs in Pannonia inferiore apud Ennodium itidem ab eodem Maffejo ibidem relatum *limen Italiæ* nuncupabatur; quatenus nempe Illyricum Occidentale subderat ditioni Præfecti Prætorio Italiæ (ut ajunt) *in Civilibus*, majorque Pannoniæ ac Dalmatiæ pars Metropolitæ Aquilejensi in sacris obsequebatur. Haud secus Rhætiam primam & secundam Præfecto Italiæ paruisse indubium est apud eundem Roschmannum pag. 80. Et quamvis Roschmannus censeat, quod sicut illæ Vicario Italiæ Mediolani constituto parebant *in Civilibus*, ita in sacris Mediolanensi Antistiti essent subjectæ, sunt tamen apud eundem Maffejum col. 285. inconcussæ auctoritates, queis jus Ecclesiasticum Aquilejensium Antistitum super Istriam, Dalmatiam, Pannoniam, Noricum, luculentissime commonstratur, esto post Schisma duntaxat Patriarchalis titulus invectus fuerit, uti Baronius, Sirmundus, Lupus, Norisius, amplissime probant. Ubi etiam præcit. col. 284. idem Maffejus monet, fallere hanc regulam qua ex Metropoli civili, ac

„ tiam excurrebant. Videtur etiam Berunum dictum: unde Be-
„ runenſes iidem forte qui *Belunenſes*. Plinius dicto loco: Feltri-
„ ni (nota quod alia lectio apud Roſchmannum pag. 154. habet
„ *Fertini*) & *Tridentini*, *& Berunenſes Rhætica Oppida*. Et In-
„ ſcript. Grut. pag. 409. num. 8. *Feltriæ itemque Beruenſ.* quaſi
„ excidiſſet *N.* littera. Scripſerat etiam num. V. pag. 414.
„ Quum poſt Romanorum victoriam Vindelicia non fuerit Pro-
„ vincia

---

ac Sede Conſulari, inſertur Metropolis Eccleſiaſtica; alias, inquit, non duæ aut tres, ſed decem ac ſeptem fuiſſent in Italia Metropolitæ tempore Præfecti Prætorio Italiæ. Siquidem in Notitia Imperii adparet, Italiam diviſam in ſeptemdecim Provincias, quarum Rectores Præfecto Prætorio Italiæ, ſive ejus Vicariis omnes parebant. Unde ea in Notitia ita legimus „. Sub diſpoſitione Vi-
„ ri Illuſtris Præfecti Prætorio Italiæ
„ Diœceſes infraſcriptæ, Italia, Illy-
„ ricum, Africa. Provinciæ Italiæ de-
„ cem & ſeptem. Venetiæ, Æmiliæ,
„ Liguriæ, Flaminiæ & Piceni anno-
„ narii Tuſciæ & Umbriæ, Piceni ſub-
„ urbicarii. Campaniæ. Siciliæ. Apu-
„ liæ, & Calabriæ. Lucaniæ & Bru-
„ tiorum. Alpium Cottiarum. Rhæ-
„ tiæ primæ & ſecundæ. Samnii. Va-
„ lerii. Sardiniæ. Corſicæ „. Venetiæ in plurali nominantur, uti etiam apud Caſſiodorium; Ambroſium, Zoſimum &c. propterea quod ſæculo quarto Provincia hæc in ſuperiorem & inferiorem diſtribui cœperit. Aliqua vero portio Venetiæ ſuperioris in montanis poſita Septentrionem verſus ita continebatur ſub Rhætia, uti Rhætia ſub Italia. Neque enim ex eo quod in præfata Notitia Imperii *Venetia* diſtinguantur a *Rhætia prima & ſecunda*, inferri poteſt, Tridentum, Feltriam, Bellunum, utpote Venetiarum Urbes, omnino extra orbitam fuiſſe utriuſque Rhætiæ; alias cum in eadem Notitia, ubi agitur de ſecunda Diœceſi Illyrici, diſtinguantur Provinciæ ſex, quas inter Noricum Mediterraneum, & Noricum Ripenſe, conſequens eſſet, quod Sabiona utpote in Norico contenta, minime intra Rhætiæ orbitam comprehenderetur. Porro ad Noricum ſpectare Sabionam commonſtrant apud Roſchmannum pag. 84. & ſeqq. Brevarium membranaceum trecentorum annorum, Aribo Friſingenſis, Paulus Diaconus, Diploma anni 804. apud Meichelpechium, Anonymus Mabillonianus, Epiſtola Zachariæ Epiſcopi Sabionenſis & aliorum Epiſcoporum ad Jo: IX. S. P. Diploma Curienſe Ottonis I. apud Guillimannum. Codex pervetuſtus annorum 700. apud Scheſtratenum, Chronicon Wizzeburgenſe a Balluzio editum, deſinens apud Echardum in Francia Orientali ad ann. 1080. &c. Ex quo illud potius in proclivi eſt inferre, quod cum Noricum nuſquam fuerit Metropolitæ Mediolanenſi ſubjectum, ſed bene Aquilejenſi; Sabiona, ceu in Norico perpetuo contenta, nunquam Mediolanenſem Metropolitam agnoverit. Verbo, Provincia Rhætiæ ac Provincia Venetiæ diſtinguebantur, quia eſto qua parte eſſent conterminæ modo unius, modo alterius nomine vocitarentur, aliunde tamen ſecundum amplitudinem ſuam univerſam maxime ab invicem ſecernebantur. Cæterum quod ſpectat interpretationem *Berunenſium* (al. *Beruenſium*) apud Plinium L. III. Cap. XIX. eſto eam probent Ughellus, Cluverius, Cellarius, Harduinus &c. nihil adfirmate pronunciare auſim, cum ob Plinium, qui *Berunenſes*, *Beruenſes*, ſive *Bernenſes*, a *Beluno* diſtinguit, tanquam Rhætos a Venetis, tum ob ea quæ ſcribit Maffejus Lib. VI. Veron. Illuſtr. a col. 214. Obſerva, Plinium Lib. III. cap. XIX. ac XX. nomine quoque diſtincto vocare *Brixentes*, *Berunenſes*, *Breunos*, & *Hiſarcos*.

„ vincia singularis, sed cum Rhætia semper conjuncta; factum „ est, ut omnis tractus, qui inter lacum Brigantinum, Danu- „ bium, Œnum, Carnos, Venetos, & Insubros est, sæpenu- „ mero Rhætia diceretur & *Provincia Rhætia &c.* „. Plurativo numero vocitari Rhætias notat num. XXII. a Capitolino Vopisco, & Ammiano, ac dividi nedum in *Superiorem* & *Inferiorem*, sed & in *Primam* & *Secundam*, nomenque Rhætiæ *Primæ* & *Secundæ* usurpari ab Auctore Notitiæ Imperii, & Paulo Diacono. Quod autem Paulus Diaconus loquens de duabus Provinciis Rhætia *prima* & *secunda* non intellexerit, ut putat Roschmannus pag. 161., per *primam* solam Rhætiam *Curiensem*, & per *secundam* solam *Sabionensem*, non obscure eruitur ex ipsissimis Pauli verbis a Roschmanno relatis. Namque per duas Rhætiæ utriusque primæ & secundæ provincias, eas accipit, quæ *inter Alpes consistunt*. Atqui inter Alpes non tantum concluduntur Curia & Sabiona, verum etiam Tridentum, Feltria, Bellunum &c. (*a*) ergo & hæ Urbes sub Rhætia perstringuntur. Unde Cluverius Introduct. Geograph. in Montes Italiæ L. III. cap. XXXII. pag. mihi 246. differens de Alpibus Rhæticis protensis a Tridentino Territorio ad fontes usque Plavis haud procul a Belluno ac Feltria decurrentis inquit. „ Continuantur *Rhæticæ* „ ad Plavis usque fontem, quarum pars *Tridentinæ perbibentur* „ supra Tridentum „. Etenim Rhætia latius tunc patebat, quam ut ad Venetiam usque se nequiret extendere, uti a Cellario Plinii ipsiusmet auctoritate nixo audivimus. Quid mirum, Rhætiam sua ampliasse spatia usque ad Venetiam, si & Venetia sive Istria se se ad Rhætiam usque dilatabat? Nonne confitetur Roschmannus pag. 65. sub nomine Ecclesiarum Istriæ etiam Rhætiæ nostræ Ecclesias venire? An non S. Gregorius P. M. in Epistola scripta ad Joannem Ravennatem Ind. X. idest an. 592. loquitur in hæc verba: *De caussa vero Episcoporum Istriæ omnia, quæ mihi Vestra Fraternitas scripsit, ita esse jam deprehendi in iis jussionibus, quæ ad me a piissimis Principibus venerant*: quos inter Episcopos primo se se loco subscripsit *Ingenuinus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ secundæ Rhætiæ*? Quis nesciat Mauritium Imperatorem

(*a*) Hinc patet quid intelligi debeat per *Peninam Vallem*, cui præerat Cisiacris Prolegatus Rhætiæ & Vindeliciæ: *is tractus* (inquit Maffejus in Musæo Veronensi pag. CXII.) *intelligi debet, qui sub Peninis incipiens Alpibus, usque ad Vindeliciam porrigebatur: populi Vallenses inclinato ævo dicti*.

ratorem in Rescripto ad Gregorium Pontificem illos vocare *Episcopos Istriensium Provinciarum*, & iterum ibidem, *Episcopos Istriæ seu Venetiarum?* Quasi vero Istria sive Venetia nedum ad Rhætiam Tridentinam, ad quam spectabat ex illis Agnellus, verum etiam ad Rhætiam Sabionensem, ad quam pertinebat Ingenuinus, exporrigeretur. Sed lubet Roschmannum cit. pag. 65. audire. Addit enim hactenus dictis e vestigio ,,. Quin longe adhuc serius sub hac Provincia *Istria* ipsa Sabiona audiit; ex Concilio enim Remensi an. 1049. celebrato apud Harduinum To. 6 hæc legimus: *Defuncto Papa Damaso, qui in Civitate Brixenorum, quæ in Provincia Istriæ, fuerat Episcopus &c.* Jamque eodem tenore Pelagius I. Pontifex in Epistola ad Narsetem Schismaticos enumerat Episcopos, Ligures, Venetos, & istrios, ut toties laudatus Rubeus affirmat ,,. Igitur si Sabiona, quæ certo ad Rhætiam semper pertinuit, sub Istria sive Veneta Provincia olim continebatur; quidni Tridentum, Feltria, Bellunum, ut ut Urbes sub Veneta Provincia comprehensæ, adhuc ad Rhætiam ipsam spectare potuerint? Eo porro sensu Sabiona olim ad Istriam spectabat, quo Dalmatia ad Aquilejam juxta Concil. Arelat. I., ac antiquum Codicem Capit. Veron. apud Maffejum Veron Illustr. Lib. 10. col. 284; ob similem nempe in sacris subjectionem ac dependentiam a Metropolita sive Aquilejensi sive Istriano. Quæ dicta velim, ut pateat, quod cum ex una parte Ecclesia Bellunensis haud minus quam Sabionensis ad Rhætiam secundam pertineret, haberetque confinia cum Ecclesia Tiburniensi; ex alia vero parte hæc vox *Becunensis* majorem similitudinem præferat cum *Belunensi*, quam cum *Sabionensi*; per *Becunensem Belunensem* satis commode intelligi posse nemo non videt. Siquidem Bellunensis Civitatis nomen variis fuisse obnoxium corruptionibus vel inde patescit, quod non defuerint, qui scripserunt, hanc illam esse Civitatem a Svida *Verunum* dictam (*a*), cujus deinde vocabulum, corrumpente Vulgo, abierit

(*a*) De *Veruno* Maffejus habet L. I. Veron. Illustr. col. 25. *Stefano, e il suo Compendiatore, registrò*: Veruno Città d' Italia ne' Norici. *Se intese di Verona equivocò nel sito, se di Viruno Città Norica al Dravo, non potea dirsi Italiana*. Num forte intelligendum Belunum in Italia situm haud a Norico procul? Plinius tamen Lib. III. cap. XIX. inter Venetorum Oppida *Belunum* collocat, at eodem Lib. III. cap. XXIV. inter Noricorum, qui Rhætis junguntur, Oppida *Virunum* ponit.

rit in *Belunum*, quid ni & in *Becunum? Virunum* quoque olim audiit, si Pierio fides, qui de ea cecinit:

. . . . . . *unanimi dixerunt voce Virunum*. (a)

Nec mirum Beluni nomen totuplices passum fuisse mutationes; cum idipsum aliis quoque Urbibus, sive Castris, quæ Belunum ipsum cicumstant, acciderit. Namque Feltrini nuncupati sunt etiam apud Plinium *Fertini*, Ceneta scripta quoque est *Cenesa*, & *Cenesta*, uti paulo ante monuimus, ac Castrum, quod *Asolo* vocitatur, appellitatum quoque est modo *Acilium*, modo *Acilum*, modo *Asilum*, modo *Azolum* &c. &c. &c. In hac igitur Urbe Bellunum dicta, cum sub Justiniani Imperio erectum fuerit Templum S. Martino, quod postea in Cathedralem Ecclesiam evasit, in eam suspicionem adducor, ut credam, id Francorum opera factum; quum enim eum enixe colerent, ejus memoriæ Templa, ubicumque rerum potiti, cum nova ædificarunt, tum vetera persæpe addixerunt: quod etiam ex Velsero & Hansizio monet Roschmannus pag. 108. Quo fit, haud inverisimile in hac Ecclesia Gallicanos Præsules constituisse Sacerdotem, cultumque S. Martini de more propagasse. Bellunensem etiam Ecclesiam fuisse Aquilejensi subjectam, probeque innotuisse Compilatori Libelli supplicis ad Mauritium Imperatorem, ex eo palam fit, quod Laurentius Bellunensis Episcopus unus fuerit ex iis Schismaticis Episcopis Venetiarum vel secundæ Rhætiæ, qui præfatum Libellum dicto Imperatori præsentarunt. Vid. Italiam Sacram Ughelli Tom. V. Edit. Colet. de Bellunensibus Episcopis col. 143. & seqq. De Beconensi sive Becunensi Ecclesia hactenus, forte prolixius, quam par erat, non quod Roschmanni interpretationem improbabilem censeam, sed quod eam non præferat certitudinem, quam ipse sibi persuadet.

LXXXI. Neque tamen his omnibus victas dat manus Adversarius, sed adhuc ex titulo Libelli Schismaticorum Episcoporum, quos inter Ingenuinus, illud etiam atque etiam urget, quod ipsi Schismatici Præsules agnoverint Decessores: *nostrarum* (inquiunt) *Provinciarum Venerandi Decessores, quibus indigni successimus*. Quibus verbis esto haud ægre concesserim satis probabiliter inferri posse Ingenuini prædecessores saltem Regionarios, neutiquam tamen ita certo, ut cui illos negare volupe fuerit, citra inju-

(a) *Berunum* ac *Virunum* idem esse quidam opinantur apud Aventinum Annal. Bajor. Lib. 2. pag. mihi 88.

injuriam aut emotæ mentis, aut temeritatis nota valeat inuri: Itaque reor ego, ut præfata verba vera sint, haud necessum esse, ut Ingenuinus Decessores habuerit, sed satis esse, si cæteris Decessores præiverint, uti Decessores agnovere Maxentius, Agnellus, Felix, Augustus, Junior, Horontius Episcopi &c. Hoc sensu duo Latrones cum Christo cruci suffixi blasphemantes dicuntur per Synecdochen, quod ex iis unus blasphemarit (a). Et quamvis Ingenuinus se se primo loco subscripserit, non id factum *prærogativa Cathedræ, sed ætatis* autumat ipse Roschmannus pag. 63. Unde absurdum videri ipsi non debuit pag. 162., quod Ingenuino, ut ut inter subscribentes primas tenenti, decessores denegentur. Et licet Ingenuini Decessores admiserim, non inde tamen compellor concedere plus quam *Regionarios*, ob ea quæ ab Arnolpho supra didicimus, quæve de S. Valentino Rhætiarum Episcopo post Hansizium plures opinantur. Atque hinc evenisse puto, ut cum nimis recens & obscurus esset ipsius Episcopatus Sabionensis, Schismaticus illius Libelli compilator maluerit, ad magis roboranda Pseudo-Synodi Acta, ipsum a Regione, quam ab Episcopatu vocare, videlicet *Episcopum secundæ Rhætiæ*. Neque elici potest, ipsum solum fuisse secundæ Rhætiæ Episcopum ex titulo præfati Libelli; alias cum Provincia Venetiarum plures numeret Episcopos, Rhætiæ secundæ Provincia unicum recensuisset. Titulus ita sonat: *Humiles Venetiarum (b) vel secundæ Rhætiæ Episcopi Ingenuinus, Maxentius &c.* Dici quoque potest, ipsum potius quam cæteros dictitatum fuisse secundæ Rhætiæ Episcopum, propterea quod ejus Episcopatus intra Rhæticas Alpes magis magisque reconderetur, altiusque Rhætiam ipsam pervaderet, ac plus cæteris a Venetiæ Provincia distaret. Animadversione etiam dignum est, haud ita facile in animum induci posse, post Sabionam ab Hunnis & Attila (c) solo æquatam, potuis-

(a) Ita interpretantur illa verba Marc. 15. v. 32. *Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei*, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus apud Tirinum.

(b) Quasi vero uti *Venetiarum*, ita *secundæ Rhætiæ* plures Episcopi fuerint.

(c) Velserus Rer. Aug. Vind. L. 8. pag. 332. ad an. 451. expendens illa verba Bedæ Eccl. Hist. Lib. 1. cap. 13. *Adeo intolerabilis Reipublicæ remansit Hostis* (Attila) *ut totam pene Europam excisis invasisque Civitatibus atque Castellis corroderet*; subdit. „ Quibus „ ostendit longe plures eam calamita„ tem Civitates afflixisse, quin & op„ pressisse, quam quarum famam pu„ blica historiarum monumenta ad hanc „ ætatem prorogarunt. Est autem cor„ rodendi verbum ad Rhæticas Urbes „ perappositum, quandoquidem hæc Pro„ vincia Italiæ in limbi modum pre„ texta „. Observat etiam ex Belio in Juven-

potuisse mox Antistites Sabionenses clarere, qui Ingenuino tanquam legitimi verique Decessores præfulserint. Nemo enim nescit, qui non fuerit in re historica hospes omnino ac peregrinus, ab Attilæ morte, cum in magna rerum susdeque versione barbarorum ferocitas & audacia gliscerer, Romani contra ignavia & inertia torperent, omnia plena luctus terrorisque, vel in Rhætia nostra, extitisse: adeo ut quo tempore post Valentini Rhætiarum Episcopi mortem, Pannoniæ, Norico, ac Rhætiæ ipsi Severinus tanquam propitium & salutare aliquod sidus affulgeret, Laureaci Constantius Episcopum ageret, Tiburniæ Paulinus, *cæteris* (ut rite observat Velserus rerum Boicarum Lib. III. pag. mihi 95.) *per provinciam locis fere presbyteros præfectos appareat, quamquam Presbyteros & Episcopos a plerisque in hac historia imperite confundi*, idem animadvertat. Quis vero certo credat, tunc potissimum, cum & eversa Civitas esset, & late barbari in iis regionibus dominarentur, creatos illic plures Episcopos, quos Ingenuinus exceperit? Nonne si Ecclesiæ Brixinensis Officiis fides, Urbs & Ecclesia Sabionensis, Theodonis Bavariæ Ducis beneficentia, ab Ingenuino restaurata? Quei ergo ante Ingenuinum ipsum plures decessores enumeret a SS. Cassiano ac Lucano longe distinctos?

LXXXII. Obtrudit tamen Adversarius præter duos Anonymos, nescio quem *Maturninum*, *Materninum*, vel *Martinum* inter Ingenuini prædecessores numerandum, in Synodo Mantuana laudatum, sed illum explodunt viri ipsi præstantissimi ab eodem relati pag. 66. nempe Rubeus, Mansius, Scipio Maffejus &c. contendentes ex Actis apud Sargoninum, Dandulum, Benintendum, Ughellium, loco *Maternini*, vel *Martini*, sive *Maturnini Sabionensis Episcopi*, substituendum fore *Marcianum Presbyterum*, *locum facientem viri beatissimi Ingenuini Episcopi Sanctæ Ecclesiæ secundæ Rhætiæ*. Varia porro lectio Actorum illorum nullam

Juvenco Cœl. Calano Dalmata Roschmannus in Notis ad cap. 9. Vit. S. Valent. „ Proficiscente per fauces Alpium „ exercitu Attilæ, copiarum pars altera in Noricum & Rhætiam, altera in Illyricum, non minus prædæ „ & populationis causa, quam ut vires „ Romanorum dividerentur, irrupit, in „ Carnis demum protrito Romanorum „ præsidio reliquo corpori adserta „.

Idipsum firmat Hundius in Metropol. Salisburg. de Episc. Sabion. pag. mihi 295. „ Nam Civitas Sabionensis post „ discessum S. Cassiani a Gentilibus depopulata, deinde per Hunnorum incursiones sub Attila Rege funditus „ exeisa, & solo æquata, medio tempore usque ad Ingenuinum sine Rectore & Episcopo fuit.

nullam Roſchmanno ſolidam conjecturam poteſt ſufficere. Subſcriptio etiam Epiſcoporum nihil evincit, cum potuerit vicario nomine per eorundem Legatos optime fieri. Quod autem in Codice Bibliothecæ Vallicellanæ legatur *Maturninus Sabionenſis*, tam non movet, quam non movet antiquior Codex idipſum continens, unde alter exſcriptus, Bibliothecæ Brixinenſis. Quippe hujus exemplar eſto ex vetuſtiore exſcriptum fuerit ann. 1460. ſub Cardinali Cuſano Bruneccæ, non probatur tamen ea præſtitiſſe antiquitate autographum Brixinenſe, ut cæteris Codicibus omnibus merito ſit præferendum. Certe in Chronico Danduli ſæc. XIV. concinnato, quod inter Scriptores Italicarum rerum typis Mediolanenſibus editum eſt ex duobus Codicibus MSS. Bibliothecæ Eſtenſis, ut Vir Clariſſimus Ludovicus Antonius Muratorius in Præfat. teſtatur, non legitur *Martinus* vel *Materninus* ſive *Maturninus Sabionenſis Epiſcopus*; ſed *Marcianus Presbyter locum faciens viri beatiſſimi Ingenuini Epiſcopi S. Eccleſiæ ſecundæ Rhætiæ &c.* Porro Acta ſua adfirmat Dandulus *in authenticis* & *vetuſtiſſimis Codicibus reperiri*. Eandem lectionem Acta apud Benintendum virum illuſtrem ſæc. XIV. roborant: quæve Benintendus recenſet, etiam deprompta ſcribit ex *vetuſtis & authenticis Codicibus*. Nil dicam de rerum Venetarum Chronico antiquitate ac raritate inſigni, a Joanne Sagornino, qui prima XI. ſæculi medietate vitam agebat, ſatis apte concinneque compoſito, eandem lectionem firmante. Autographum autem Brixinenſe antiquitate præſtitiſſe antefactis Chronicis difficile ſuadebit perſuadebitque Roſchmannus; multoque minus probabit præſtantiam Apographi Vallicellanæ Bibliothecæ, cum in ejus Codice hæc nota legatur. „ Inveni in Bibliotheca Eccleſiæ Brixinenſis, cujus „ Epiſcopus eſt Reverendiſſimus Dominus meus D. Nicolaus de „ Cuſa, tituli S. Petri ad vincula S. R. E. Presbyter Cardinalis. Deſcripſi, ut vides confuſe in Brunecca Oppido Norico „ ejuſdem Eccleſiæ Brixinenſis, anno 1460. Die octava Aprilis „ abſolvi. Deo gratias. Jo: An. „. Porro ſi Apographum illud ex Autographo Brixinenſi ea fuerit confuſione deſcriptum, atque ex ita confuſe exarato Apographo, in Bibliotheca Vallicellana adſervato, Mantuana Acta, illas exhibentia ſubſcriptiones *Materninus Sabionenſis*, *Flaminius Tridentinus*, deſumpta ſint; (a) plane neſcio quo jure confuſa ejuſcemodi lectio cæteris præferatur.

LXXXIII.

(a) Plures Roſchmannus memorat Mantuanæ Synodi Codices pag. 68. alium alio emendatiorem, cum unus duntaxat Vallicellanus ſuperſit.

LXXXIII. His minime obstantibus nequaquam herbam porrigit, sed urget adhuc Roschmannus, inquiens de Actis seu potius fragmentis Synodi Gradensis in Mantuana Synodo relatis, atque in duobus Codicibus Vallicellano nimirum, ac antiquiore Brixinensi, contentis pag. 68. ,, Quæ Acta inter ejus Synodi ,, emendatiora pronuntiat & sequitur Rubeus; ut adeo præferri ,, posse videantur reliquis quasi privatis Manuscriptis, cum ,, hæc fragmenta in Synodo hac (Mantuanam intellige) allegata ,, fuerint. In horum igitur fragmentorum subscriptionibus ,, in utroque Codice legitur *Martinus* sive *Materninus Sabionensis*, ,, atque proprio quidem, non vicario nomine, quæ utique ,, tum cum Rubei sententia, tum cum Actis S. Ingenuini ,, videntur conventiora &c. ,, Ad Rubeum adpellavit Roschmannus, ad Rubeum consulendum eamus. Hic ergo ad calcem Dissert. Hist. de Schism. Aquil. profert Acta Synodi Mantuanæ, eaque eruditissimis notis illustrat, atque ad subscriptiones Episcoporum Synodi in Plebe Gradensi actæ, quam Mantuana Synodus memorat, hanc, quæ num. est 26, appingit notam pag. 243: ,, Ordo subscriptionum perturbatus, ac nomina corrupta ,, Episcoporum restitui debent ex eisdem Actis apud Sagornium, ,, Dandulum, Benintendum in Chronicis Venetis, & apud ,, Ughellium in Chronico Gradensi hoc modo: *Helias Sanctæ* ,, *Aquilejensis Ecclesiæ Patriarcha* (vel *Episcopus*, ut in aliis Co- ,, dicibus) *Marcianus Episcopus S. Ecclesiæ Opitergensis*, *Leonia-* ,, *nus Episcopus Tiborniensis*, *Petrus Altinatis &c.* Inter Severum ,, Tergestinum & Joannem Parentinum subscribit *Solacius Episcopus* ,, *S. Ecclesiæ Veronensis*. Loco *Martini* (vel *Maternini* juxta ,, eundem Rubeum in Monum. Eccl. Aquil. col. 411.) *Sabionensis* ,, legitur *Marcianus Presbyter*, *locum faciens viri beatissimi Ingenuini* ,, *Episcopi S. Ecclesiæ secundæ Rhætiæ*. Non Flaminius (ut ,, refertur in Synodo Mantuana) sed *Agnellus Tridentinus* habe- ,, tur. Comparet *Laurentius Presbyter*, *superveniens in Synodo*, ,, *locum faciens Viri beatissimi Fonteji Episcopi S. Ecclesiæ Feltrinæ* ,,. En rursum Roschmannus in illo ipso, ad quod adpellavit, Tribunali iterum iterumque caussa cadens; quem proin hoc argumento Scholarum more elaborato lubet perstringere. Eodem modo in Fragmentis Synodi Gradensis a Mantuana Synodo relatis inter subscribentes Episcopos ponitur *Materninus Sabionensis*, sicut *Laurentius Feltrinus*; atqui certo certius est, Laurentium Feltrinum duntaxat subscripsisse vicario nomine, nec fuisse Episcopum, sed Presbyterum, adeoque nunquam inter Fel-

tren-

trenſes Epiſcopos in ullis Catalogis recenſitum: ergo idem cenſendum eſt de Maternino Sabionenſi. Neque illi ſuffragatur, quod adtexit pag. 66. *Apud Authores Synodum Gradenſem impugnantes controverſum minime eſſe, has ſubſcriptiones non referre veros illorum temporum Epiſcopos*; donec non protulerit eorundem Authorum teſtimonia (*a*). Et qui confinxit Acta, potuit quoque Epiſcopos, tempore Gradenſis Synodi, nempe an. DLXXIX., viventes, comminiſci, qui tamen paulo poſt duntaxat cœperint Epiſcopos agere. Tametſi nec illud conſequens ſit, ad Neſtoream uſque ætatem protraxiſſe vitam Ingenuinum, ſi ævo ipſo Synodi Gradenſis potius, quam proxime ſequutis temporibus Epiſcopus vixerit. Cum potuerit junior, more priſcorum temporum, virtutis merito ac doctrinæ, in Epiſcopum inaugurari, atque Libello ſupplici ad Mauritium Imperatorem ſubſcribi, non prærogativa ætatis, ſed totius Rhætiæ ſecundæ, quam ipſemet præcipue repræſentabat. Habeatur quoque recens exemplum in Brixinenſi Eccleſia de tranſactis quinque ſupra quadraginta in Epiſcopatu annis a bonæ memoriæ Gaſpare Ignatio Comite Kunigl.

LXXXIV. Ingens inſuper ſubit animum admiratio, Roſchmannum, tanti facientem auctoritatem Synodi Mantuanæ, ſcripſiſſe cap. XV. pag. 77. *Principem* (*poſt Romanam nempe omnium Magiſtram*) *Sedem omnes Italiæ Eccleſiæ modo quodam Mediolanenſem coluiſſe videntur*. Cum tamen in eadem Mantuana Synodo nuncupetur S. Hermachoras, nedum *Aquilejæ Urbis Pontifex*, ſed etiam *Proton Italiæ Pontifex*, atque *Aquilejæ* Civitas vocetur *caput & prima totius Italiæ*, ita quidem, ut ab ea *exordium Chriſtianitatis non ſolum ſumpſerit Italia, verum etiam multæ aliæ Provinciæ, ac ſemper Matrix & Metropolis fuerit, ſicut prius a B. Marco Evangeliſta, ac poſtea ab Hermachora, in fide Chriſti fundata, ita paſtoralem ſemper curam ſervans &c.* Unde vulgo creditum eſt, non ſolum Metropolitanam prærogativam, ſed etiam Patriarchalem honorem ex Apoſtolatu Marci in eandem fluxiſſe. Quod ad hominem dixerim contra Roſchmannum, non quod ego tantam acceſſio-

(*a*) De ſolo Tiburnienſi dubitat Rubeus. Ex falſis autem Actis Synodi Gradenſis inferre veros Epiſcopos tunc temporis viventes, id ipſum eſt, ac ex falſa narratione Amalecites, cujus meminit Liber ſecundus Regum cap. I., colligere, ipſum reapſe *interfeciſſe Saulem occidi rogantem*; cum tamen Saul haud aliena manu e vivis ſublatus fuerit, ſed ſibi ipſi mortem conſciverit, uti certum ſit ex I. Reg. 31. v. 4. ac ſeq. In quo deceptus eſt noviſſimus *Auctor Enchiridii ad uſum Sacerdotum, qui a ſacris Confeſſionibus ſunt* pag. 15.

ceſſionem honoris ullatenus probem, probe gnarus eorum, quæ poſt Noriſium in Diſſ. Hiſt. de Syn. V. cap. X. tradit iterato laudatus Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. col. 166. „ Nimius fue„ rit, ac totius Eccleſiaſticæ politiæ ignarus, qui hanc tribuerit „ Aquilejenſi Eccleſiæ prærogativam...... Primis æræ Chriſtia„ næ ſæculis neminem arbitramur in Italia præter Romanum „ Pontificem, fuiſſe veri nominis Metropolitam: Populares „ Mediolanenſium traditiones Aquilejenſibus non puto melio„ res &c. „. (a)

LXXXV. Porro ne fruſtra Adverſarius Epiſcopos multiplicet medios Caſſianum inter & Ingenuinum, quæro ab eodem, num Catalogi Brixinenſes omnes, quos laudat pag. 22., ac concordes memorat pag. 112. extantes apud Pezium, Putſchium, Hundium, Gevvoldum, Velſerum, Zeilerum, Buecellinum, Ughellum Hanſizium &c., etiam duo illi, ut ipſe vocat, egregii, nempe Kempterianus, & Anonymi, ordinem ſuppoſititium præferant, aut verum? Si ſuppoſititium: ergo ex hoc quod in iis primum occupet Caſſianus locum, nihil certi erui poteſt, reapſe fuiſſe verum Sabionenſem Antiſtitem. Si verum: ergo commentitii videri poſſunt omnes, qui ad grandem implendam intercapedinem (b) intruduntur Caſſianum inter & Ingenuinum, quorum unus in dictis Catalogis alterum mox excipit hoc pacto: *Caſſianus, Ingenuinus &c.* Profecto in his Catalogis nullum Caſſianum inter & Ingenuinum videre eſt Lucanum, nullum Materninum, nullos Anonymos, nullos præter Caſſianum Ingenuini prædeceſſores &c. Ut quid ergo Auctor contra fidem ſuorum Catalogorum plures venditat Sabionenſes Antiſtites Ingenuini prædeceſſores

(a) Obſervat Marchio Maffejus Veron. Illuſtr. Lib. 10. col. 286. primum inter Scriptores ſe ſe ſiſtere Paulum Diaconum, qui Patriarcharum nomen Epiſcopis Aquilejenſibus adtribuit, ac Monachum quendam S. Galli, qui paulo poſt Vitam Caroli Magni litteris mandavit, vocabulum hoc, ceu non ita pridem invectum, ac plane novitium, adhibuiſſe. Illudque, tanquam magni nominis umbram, ac velut, ut ajunt, *titulum ſine titulo*, agnovit Thomaſſinus Vet. & Nov. Eccl. Diſcipl. Part. I. Lib. 1. cap. XXII. pag. mihi 69. ubi loquens de Patriarchis novis Latinis mediæ ætatis, monet plerumque ejuſcemodi Patriarchas fuiſſe nomine tenus duntaxat, nullo jure præcipue fretos, & quandoque ne conſeſſus quidem honore ipſis indulto. Id quod ipſis exemplis Patriarcharum Gradi & Aquilejæ teſtatum facit.

(b) Ob ſimilem lacunam Maffejus Veron. Illuſtr. Lib. 8. col. 216. Acta Aquilejenſia S. Hermagoræ in ſuſpicionem adducit, ubi etiam refellit Palladium in Forojulienſi Hiſtoria, qui irrito labore conatus eſt, multiplicatis pro libitu Aquilejenſibus Epiſcopis, ſucceſſionem ſupplere. Qua quidem in re haud Palladio abſimilis Roſchmannus videri poteſt.

ſores nixus conjecturis ex Actis quam mendoſiſſimis inde deductis? Num fieri potuit ſi reapſe poſt S. Caſſianum rexiſſet Sabionenſem Diœceſim S. Lucanus, ut penitus intercideret Antiſtitis ſanctitate conſpicui apud Sabionenſes memoria, nec ulla ejus mentio in Catalogis Sabionenſium Antiſtitum fieret, tametſi in Bellunenſi Diœceſi contermina Sabionenſi vivere deſiiſſet, magna ſanctitatis opinione poſt ſe relicta? Neque enim dici poſſe videtur, S. Lucanum exulare a Catalogo Sabionenſium Præſulum, quo pacto in Catalogo Patavienſium Epiſcoporum S. Valentini nomen deſideratur. Diſpar namque ratio eſt inter hunc & illum; quandoquidem, ſi Hanſizio credamus, Valentinus haud Pataviæ Epiſcopus fuit, ut dici amat, *Ordinarius*, ſed *Extraordinarius* & *Regionarius*, non tam ad obtinendam Pataviæ Sedem Epiſcopalem, quam ad Verbum Dei evangelizandum illuc divino numine per Sedem Apoſtolicam deſtinatus. Unde haud carent difficultate quæ ex Radero in Bav. Sanct. & Gevvoldo in Addit. ad Hund. referuntur a Mezgero in Hiſt. Saliſb. Lib. 3. cap. 6. pag. 240. nimirum poſt Caſſianum præfuiſſe Sabionæ S. Lucanum ſub an. 424. eumque per calumniam ad Papam Cœleſtinum delatum, innocentiam ſuam Solis radio, in quo pallium ſuſpendit, probaſſe; ab inimicis tamen Sede motum in Valle Agordia peregrinum & exulem vitam poſuiſſe; corpus ejus Bellunum tranſvectum, ibique reconditum, caput autem Agordis, accepti beneficii pignus, relictum, nec hilum tamen cum de hiſce Actis, tum de ſacris lipſanis ſancti Præſulis ſui Sabionenſibus ſive Brixinenſibus niſi longe ſerius *(a)* communicatum. Præſertim cum priſco tempore certum ſit, in more fuiſſe poſitum, ut Eccleſiæ ſibi reliquias ac notitias communicarent eorum Martyrum & Confeſſorum, qui ad ipſas quoquomodo ſpectabant. Namque D. Vigilius Tridentinus una cum Epiſtola miſit ad Simplicianum Mediolanenſem Antiſtitem in Ambroſii locum ſuffectum reliquias

SS.

(a) S. Lucani vitam miraculis claram referunt Tabulæ Bellunenſes, de quibus extant Litteræ An. 1512. a R. D. Jacobo Zambyzolo Cath. Eccl. Bell. Presbytero, uti quoque a Bellunenſi Magiſtratu Brixinam tranſmiſſæ, quarum compendium exhibet Reſchius pag. 11. ubi etiam teſtatur, quod an. 1658. S. R. I. Princ. & Epiſc. Brix. Antonius Croſinus a Sereniſs. Venetorum Republica per Andream de Rubeis Canon. Brix. ſacras unius humeri & coſtæ de S. Lucano Epiſcopo Reliquias cum brachio B. Joathæ obtinuit. S. Lucani Epiſcopi Eccleſia extat in faucibus Vallis Flemarum Diœceſis Tridentinæ. Hinc ortum puto, ut non deſint Scriptores, qui S. Lucanum Tridentinum Epiſcopum arbitrantur.

SS. Martyrum Anauniensium, eo nomine (ut eorum Acta praeferunt) quod cum essent natione *Cappadoces*, *Mediolanum venissent*, *& ibi cum S. Ambrosio commorati fuissent*; eademque permotus ratione idem Vigilius Tridentinus ad Joannem Chrysostomum una cum iisdem reliquiis dedit Epistolam, qua Graecos homines in Valle Anauniae Martyrii palma insignitos Graeciae notos ac illustres redderet: ut ab exemplis caeteris brevitatis ergo supersedeam; utque illud etiam omittam, quod profitetur Roschmannus pag. 35., in Brixinensi Dioecesi S. Lucano Sabionensi *vix unicam sacram aediculam dedicatam* haberi.

LXXXVI. Observatu quoque dignum est, quod, esto nullum certum ac peremptorium argumentum adferri posset, quo magni in primorum Episcoporum serie hiatus rejiciantur, juxta ea quae tradit Dionysius Sommarthanus Tom. 1. Galliae Christianae in calce Praefationis, haud spernendae tamen conjecturae suppetant, quae hiatum Catalogorum Brixinensium Cassianum inter & Ingenuinum late patentem refutent. Neque enim in hypothesi, quod nulli fuerint inter ipsos Antistites medii, dici cum Sommarthano potest, in persecutionis procella, saevientibus Imperatoribus, Episcopos & pastores occisos, ovesque Gregis fuisse dispersas, ita ut fugatis Christianis nulli ordinati fuerint in locum occisorum Episcopi; tum quia haec responsio probat, nequidem Cassianum fuisse ordinatum Episcopum, cum tempore persecutionis claruerit, in qua Episcoporum seriem Sommarthanus cessasse docet; ac praeterea id evincit duntaxat tempore ejusdem persecutionis desiisse Episcoporum Sabionensium seriem, non tamen vel post restitutam Ecclesiae pacem sub Christianis Imperatoribus adhuc ipsam cessare itidem debuisse. Atque hoc ipsum paradoxi instar multis videtur, quod a saeculo III. usque ad VI., quo Ingenuinus vixit, nullus ante ipsum Sabionensem Cathedram occupaverit. Et hinc Roschmannus grandem hanc difficultatem praesentiens nullum non lapidem movit, quo reperiret Sabionenses Antistites, qui Ingenuinum praecesserint, quive saltem pacis tempore possint grandem hiatum implere. Nosse tamen aveo ab ipso, cur ipsi omnes in omnibus Catalogis ab ipso laudatis omnino desiderentur? Nunquid respondere cum Sommarthano potest, in atrocioribus bellis, quae Ethnici Imperatores etiam nostris libris indixere, periisse forsan quoque Commentarios Ecclesiarum, in quibus, si superessent, longe plures Episcopos haberemus, quam in vulgatis Catalogis? Minime gentium, quum eos nitatur adjicere Antistites, qui in Ecclesiae pace floruc-

floruerunt. Reliquum eſt, ut cum Gevvoldo ac Radero ad alia incendia devaſtationeſque confugiat, in quibus priſca Brixinenſium Chartophylacia ac vetuſtiores Catalogi conflagrarunt, ac penitus perierunt. Aſt horum defectum ſupplere poterat traditio, quæ tamen recens invectis a Roſchmanno Epiſcopis neutiquam ſuffragatur.

LXXXVII. Addo, quod ſi S. Valentinus (tametſi in nullo ſive Patavienſium, ſive Sabionenſium Epiſcoporum Catalogo, recenſitus) *Rhætiarum* nihilo tamen ſecius *Epiſcopus* ac *Apoſtolus* fuerit in Tyroli noſtra ſæculo quinto clariſſimus juxta ipſum Roſchmannum pag. 22. ac 107; mirum videri poſſit, non quidem quod tantus vir in Romanum Martyrologium illatus non ſit, quum probe ſciam longo tempore abſuiſſe quoque a Martyrologio Romano nomina ipſa S. Virgilii Epiſcopi Saliſburgenſis, S. Siricii Papæ &c. non niſi noviſſimis iſtis temporibus ex peculiari Decreto Benedicti XIV. P. M. poſtremæ ejuſdem Editioni auctæ & caſtigatæ adjecta atque inſcripta; ſciam quoque, non omnes Sanctos antiquos fuiſſe in Martyrologio toties aucto ac emendato deſcriptos, id Divina Providentia permittente, quæ illos retinuit opportuno tempore deſcribendos, quemadmodum reſpondit Ambroſius & Auguſtinus, quum interrogarentur, quare corpora Sanctorum Gervaſii & Protaſii fuerint ante inventionem corporis B. Stephani, quamlibet antiquioris, inventa, ut ex Doctoribus pluribus tradit Jacobus Pignatellus Tom. IV. Conſult. LXIII. num. 22; ac etiam ſciam, quod eſto, teſte eodem Pignatello ibidem Conſult. LXXXVII. num. 9., Martyrologium Romanum, utpote magis expurgatum, majorem cæteris mereatur fidem, non tamen ex ejuſdem ſilentio negativa probetur, cum quotidiana lectione ita claudi ſoleat, *& alibi aliorum plurimorum Sanctorum &c.* Sed illud potius mirum videri poſſit, quod loco Valentini, forte duntaxat Regionarii, alios Rhætiarum Epiſcopos ordinarios, Sabionæ fixam Sedem tenentes, eo ipſo ævo Roſchmannus admittat, ac in Brixinenſium Antiſtitum Catalogo certo collocandos pertendat.

LXXXVIII. Sed audio rurſus obloquentem Roſchmannum, ac in verbo *Beconenſis* vim iterato facientem. Inquit ergo pag. 151. „ Hoc verbum *Beconenſis* errorem Librarii eſſe in Geo-
„ graphicis frequentiſſimum &c. Sic, ait ille, loco Tridenti in
„ Codice Theodoſiano *Triverini*, in Ampelio Duckii pro Alpi-
„ bus Tridentinis, *Tarentinæ*; apud Geographum Ravennatem:
„ *Tredentem*: apud Adelboldum *Tridentenſis planities*: apud Tang-

„ matum

„ marum *Vallis Tarenti*, & *Triente* apud Meichelbeckium, ac „ *Trientina* Urbs apud Nokerum Balbulum, & *Trejentina* Ecclesia in Libello ad Mauritium, *Trianto* in Annalibus Francicis apud Canifium, *Triantum* apud Monachum Engolifmenfem proftant. Ex Anania *Anonia*, *Anagnis*, & *Magnos* apud Warnefridum prodiit. Sic pro Bauzano iterum in Codice Theodofiano *Bauxare*, & apud Monachum Engolifmenfem, & in Annalibus Loifelianis *Bauzarum*: in Annalibus Francicis *Banzanum*, & iterum apud Meichelbeckium *Boczinga*, & in Codice Ambrofiano *Bauganum* comparet. Ex Sublavione Itinerarii *Savione*, *Sablone*, *Savone*, *Saviano*, *Sebana* factum; & in uno alterove exemplari P. Diaconi *Salvone*. Ex Lagare Diaconi *Largare*, & apud Geograhum Ravennatem *Ligeris* prodiit. Ex Appiano in Codice Ambrofiano Apipanii, atque ex Ferruge *Femigero*, ex Cimbra *Cembra*, *Cambra*. Ex Veldidena in Diplomatibus & Actis ibi extantibus *Willetis*, *Villitenfis Ecclefia*, *Wilentbina*, *Willetin* & *Wylentbin*. Populi Breones & Briones in *Ibriones* & *Gilbriones* apud Jorandem, in Mifcella Diaconi Hiftoria in *Labrones*, in *Paeones* apud S. Hippolitum & Appianum Alexandrinum, in Codice Mediolanenfi *Bariones*: Et apud citatum Paulum Aguntum noftrum in *Maguntum*, & in Lindenbrogii Editione in *Agantum* migrarunt. Sic iterum apud eundem Diaconum loco Œni *Rhenus*, *Iternus*, *Interim*, & *Maternus*. Loco Plavis *Blavis*, & *Plabis*, & Licus *Lecha* legitur. Loco Athefis *Atagis* apud Strabonem, in Editione Flori *Hoftefis*, in Hiftoria Mifcella *Athelis*, apud Ligurinum *Athefa*, in Diplomatibus Henrici Regis noftri *Atafis* & *Ataxis*, & demum in Charta Pagorum Germaniæ medii ævi Reverendiffimi Gotwicenfis *Ediffa* & *Ediffe* eft pofitum „. Alias nominum mutationes memorat pag. 89. ajens, quod Hifarcum fluvium *Itargum* dixerit Pedo Albinovanus, Brixina dictitata fit *Breffena*, Lycus *Lecbus*, S. Sifin *S. Sefin*, Stini *Steni* feu *Stenico*, idemque Hifarcus in *Hifacum*, & *Ifacum*, medii ævi culpa mutatus fit, & aliquot jam fæculis *Eyfacus* audiat. Tum pag. 40. notat, quod Enus, Brenta, Vennones, Teriolis &c. vocitentur quoque *Inus*, *Brinta*, *Vinnone*, *Tyrolis &c.* Eruditiffime. Sed ut quid perditio hæc? Refpondet idem Rofchmannus atque concludit pag. „ 152. Tali igitur modo ex populis Breunis fola, ut fieri amat, littera tranfpofita, *Beruni*, *Becuni*, atque fic *Beconenfis* nata eft Ecclefia „. Nonne adjecerim ego, eadem plane nominis immutatione facile *Belunenfis* Ecclefia tranfmigravit in *Becunenfem*?

Si

Si etiam Belunum apud Plinium *Berunum* audiat, an non itidem transire in *Becunum* potuit? Quis non videat Ecclesiam *Becunensem* majorem nominis adfinitatem habere cum Ecclesia *Berunensi*, sive *Belunensi*, quam cum Ecclesia Sabionensi? Quid si quis pertenderit per Ecclesiam *Beconensem*, *Breunensem*, aut *Bremensem* æque bene Tridentinam, quam Sabionensem, facile accipi posse? Equidem haud recte Roschmannus probat pag. 162. Tridentinam Ecclesiam per *Beconensem*, *Brennensem*, aut *Bremensem* intelligi minime posse. „ Tridentinus enim (Episcopus, inquit) „ jam ad Italiam Longobardicam, seu ad normam Geographiæ „ Ptolomæi, ad Venetiarum Episcopos pertinuit „. Quid tum? Nonne & Sabionensis Episcopus ad Venetiarum Episcopos Ingenuini ævo spectabat, ac Sabiona sub Italia juxta Imperii Notitiam continebatur? An non Mauritius in Rescripto ad Greg. Pont. vocat Episcopos *Istriæ* seu *Venetiarum*, ac sub *Istria* ipsa Sabiona audiit in Concilio Remensi laudato ab ipsomet Roschmanno pag. 65, eodemque ibidem adnotante Pelagius I. in Epistola ad Narsetem Schismaticos enumerans Episcopos vocat *Ligures*, *Venetos*, & *Istrios*? Fortene vocabula isthæc *Beconensis*, *Brennensis* aut *Bremensis* nequeunt pro Ecclesia Tridentina quadrare?

LXXXIX. Ita est reponit Roschmannus cit. pag. 161. „ Neque voces hæ *Beconensis*, *Brennensis* aut *Bremensis* ullo modo „ ad res Tridentinas applicari possunt „. Verba hæc sunt, quæ sine ulla ratione prolata nullo negotio exsufflantur. Cur enim, sodes, Tridentina Ecclesia nequeat potiori jure vocitari *Brennensis*, quam Sabionensis? Nuncupari ita potest, cum ab Alpibus versus meridiem positis, nimirum monte Baldo, ubi ad ejus radices pagus extat dictus *Brentino*, in paulo editiori ejusdem montis loco Castrum *Brentonico*, non procul hinc in sublimiori situ Vallis Pulicellæ *Breonium*, tum ab Alpibus versus Occasum, ubi alius pagus occurrit nuncupatus *Bre* (a); tum ab Alpibus versus Orientem,

(a) Quædam vestigia prisci nominis Breonum, quorum Venantius Fortunatus meminit, retexit Scipio Maffejus a Roschmanno laudatus pag. 153. nedum in editiori parte Camunorum, volgo Vallis *Camonica*, prope *Ollium* fluvium haud procul a Tridentinis Alpibus, verum etiam in ea Veronensis Territorii plaga, ubi ad montis *Baldi* radices extat *Brentino*, nec non in excelsiori parte *Pulicella* Vallis, quæ ad Rhætos pertinuit. Namque Lib. 6. Veron. Illostr. col. 115. inquit de *Breunie* sive *Breunis*. *Il lor primo luogo ci par quasi certo fosse quello, che in oggi si chiama Brè, ed è su l'Olio nell'alto della Valcamonica poche miglia lontano dal Trentino, essendo già anche per altro noto, come que' monti furon tenuti da' Reti. La comune immaginazione del* Re

tem, a quibus decurrit fluvius *Brenta*, tum ab Alpibus versus Septentrionem, ubi *Prenner* sive *Brenner*, a quo si Sabionensis deno-

Re Brenno ha ora fatto, che nel Toscaneggiar tal nome scrivendo, si fa ridotto Brè *in* Breno. *Questa grossa terra è in oggi Capitale della Valcamonica* ..... *Abbiam nel distretto nostro* Brentino *a piè del monte Baldo, e* Breonio *nell' alto della Valpulicella, qual fu de' Reti: tali nomi sembrano venir da' Breuni, detti Breoni da Venanzio Fortunato &c.* Nos ergo Breunos haud secus, quam Rhætos passim per Alpes sparsos putamus, eosque eo nomine a Camunis distinguimus, uti a Maffejo ipso distinguuntur, quod magis essent, quam Camuni, per montana diffusi, adeo ut Camuni essent quidem Breuni, sed non Breuni omnes essent Camuni. Unde unde desumum Breunorum prima sedes repetenda sit, haud inficias jerim Horatium L. 4. Oda 14. de Rhætica victoria ad Augustum canentem, intelligendum etiam de Breunis incolentibus altiorem proximioremque partem Rhætis superioribus, dum ait:

„ Vindelici didicere nuper
„ Quid Marte posses. Milite nam tuo
„ Drusus Genaunos implacidum genus,
„ Breunosque veloces, & Arces
„ Alpibus impositas tremendis,
„ Dejecit acer, plus vice simplici.
„ Major Neronum mox grave prælium
„ Commisit, immanesque Rhætos
„ Auspiciis pepulit secundis.

Sed nego per alias quoque Alpes ac montana non fuisse dispersos. Unde enim diffusum undique per Alpes & montana illorum nomen, nisi quia & ipsi loca ab se denominata incolebant? *Mela amnis* (Junio Phylargyro teste) *in Gallia Cisalpina vicinus Brixiæ oritur ex monte Brenno*. Sicut ergo non unus, sed plures sunt montes Brenneri, sive Penini, ita non unus erat populus Breunus, qui excelsiorem Rhætiæ partem inhabitaret. De hoc tamen unice loquutum crediderim Venantium Fortunatum in Epist. ad Greg. Tur. præfix. Lib. 1. Carm. ubi suum in Galliam iter ita describit. „ De Ravenna progrediens, Padum, Athesim, Brintam, „ Plavem, Liquentiam, Tiliamentumque tranans, per Alpem Italiam pendulus, montanis anfractibus Dravum Norico, OEnum Breonio, Licam Bojaria, Danubium Alamannia, „ Rhenum Germania transiens &c. „ Nec non sub fin. Lib. 4. de Vit. S. Martin.

„ Pergis ad Augustam, quam Vindo Lycusque fluentant.
„ Illic ossa sacræ venerabere Martyris Afræ.
„ Sic vacat ire viam, neque te Bojarius obstat,
„ Qua vicina sedent Breonum loca, perge per Alpem,
„ Ingrediens rapido qua gurgite volvitur OEnus.

Cæterum tametsi Fortunatus de solis Breonibus OEnanæ Vallis indigenis fuerit loquutus, non hinc tamen consequitur, alia quoque non incoluisse loca, de quibus supra; præsertim cum ex Ptolomæo, Strabone, Svetonio &c. constet, ipsos usque ad Illyricos ac Pannonas se extendisse, nedum Galliam Cisalpinam pervasisse juxta cit. Phylargyrum, Acronem, Porphyrionem &c. Cumque Plinius ac Florus inter Alpinas gentes illos recenseant, quidquid intra Alpes concluditur, potest ad eorundem ambitum spectare, ac Breonum nomine intelligi. Aut ergo Breunensem Ecclesiam Roschmannus inter OEnanæ Vallis angustias perstringit, aut eam ampliat ad Sabionensem? Si primum; ergo ex Ecclesia Brennensi nihil conficitur pro Sabionensi. Si secundum, ergo itidem Breunensis Ecclesiæ nomen derivari potest ad Tridentinam, ac Bellunensem Sabionensi sive Brixinensi conterminas. Accedit quia cum a Jurnande in rebus Geticis, Paulo Diacono in Historia Miscella, & Freculfo in Chronicis, Populi Brio-

denominetur Ecclesia, quidni & Tridentina, quæ ad Sabionam usque exporrigitur? Adeo nomen hoc arctandum minime est ad solos Sabionenses; vel maxime quia cum *Bren* & *Pen* apud Celtas, *Pron* & *Pryon* apud Græcos, *Bre* & *Breon* apud Cambros, & Saxones eminentiam, cacumen, verticem, ac summitatem montis significent (*a*), aliæ sunt a Sabionensibus Alpes, queis hoc nomen conveniat, uti sunt Tridentinæ, quæve his proximæ sunt, sive versus Brixiam ab Occidente, sive versus Ausugium ab Oriente, sive versus Sabionam a Septentrione, sive versus Veronam a Meridie. Fallor ego nisi id ostendero iis ipsis auctoritatibus, quas Roschmannus exscripsit, ac nisi ejusdem calamo ingenuam hujus veritatis confessionem extorsero. Namque hæc refert ac probat Cl. Bollandi verba a pag. 150. „ Ad utrum„ que OEni latus coluisse Brennos, sive Breones non solum in„ ter Lycum & OEnum, ut scripsit Velserus Lib. 8. Rer. Vin„ del. imo ad Athesin fortassis, & ultra eorum pertigere se„ des. Certe in Vita S. Corbiniani VIII. Septembris dicitur Gri„ moaldus Bojorum Princeps per suos mandasse habitatoribus „ Alpium, ut si quando isthac Vir sanctus reverteretur, eum a „ finibus Bojorum abire non paterentur, ac deinde subjungitur: „ *In ipso autem itinere Romam pergendo, cum in Breones perveniret* „ *&c.* ac paulo post. *Cum autem ad Tridentinum Castrum Vir Dei pervenit &c.* „ En Breonum nomen pluribus nominibus, quam Sabionensibus, Tridentinis accomodatum. Præsertim quia cum Augustana Ecclesia potuerit tunc usque ad OEnanam Vallem pertingere, Tiburniensis usque ad Aguntum, Vallemque Pustrissam perveniret, Tridentina, uti etiam modo usque Sabionam

Briones inter celeberrimas Nationes, Francos scilicet, Sarmatas, Armoricanos, Burgundiones, & Saxones celebrentur apud Roschmannum pag. 156; fieri nequit, ut per eos populi dumtaxat intra OEnanæ Vallis arctos limites conclusi intelligendi veniant. Censeo insuper, Horatium Brenensium *Arces* memorantem *Alpibus impositas tremendis* intelligendum quoque de Arcibus infra ac supra Tridentum, quibus in editioribus locis positis frequentiores nullibi reperire est. In una Lagarina Valle infra Tridentum, ac Ananiensi supra, plures adhuc manent, aliarumque multarum rudera adhuc videntur. Idem dixerim de Vallibus Stonorum & Euganeorum ab utroque Tridentino latere. Animadvertendum obiter duco, Afram a Venantio Fortunato perperam vocari Virginem: Quippe lego apud Baronium in Not. ad Martyr. Rom. 5. Aug. de S. Afra. „ Cum simul omnia monu„ menta eam olim fuisse meretricem tra„ dant, miror vehementer, quomodo „ Venantius Fortunatus eam appellat „ Virginem.

(*a*) Ita Roschmannus pag. 153. ex Maffejo, Leibnizio, Cellario, Bocharto, atque Vachtero.

nam &c. (*a*); hinc habentur tres Ecclesiæ conterminæ absque eo quod Roschmannus quicquam ultra valeat objicere. Sicut autem Auctor hic nimis arcte interpretatur vocem *Breonensis*, ita quoque vocem *Peonensis* sive *Peonum* (*b*), quam adhibet Appianus ad significandum populum inter Rhætos & Noricos medium, quave Adversarius significatam vult Œnanam Vallem, in qua Urbs totius Rhætiæ princeps sita olim fuerit; quandoquidem, cum *Peonum* ac *Breonum* nomina æque significent *peninos* populos, non videntur ad significandos unice Œnanæ Vallis incolas instituta (*c*). Et quis credat Appianum Scriptorem longe dissitum, utpote Alexandrinum, ita minutim potuisse Œnanam Vallem dispicere, quam vix Scriptor domesticus, ceu Rhætos inter & Noricos mediam, potuisset secernere? Num ita famigerata Œnana Vallis, ut ejus longe celeberrimum nomen, vel ultra maria, Alexandrinis insonuerit? Viderit Roschmannus, ne, dum pag. 157. Appiani auctoritate fultus Brennos suos, OEnanæ Vallis indigenas, medios Rhætos inter & Noricos constituit, ansam præbeat suæ Veldidenæ Adversariis arguendi, quod, si ita Rhætos inter & Noricos medient Brenni sive OEnani, hi ergo ab illis distinguantur, ac per consequens palam fit, non potuisse habere sicut Urbem totius Norici, ita neque Rhætiæ totius principem, sed si qua Urbe potirentur, ea fuerit ab Urbibus Norici Rhætiæque omnino distincta, velut Urbium cæterarum media, cum iisdem minime confundenda.

CAPUT

(*a*) De terminis Augustanæ ac Tiburniensis Ecclesiæ cum Ecclesia Brixinensi Roschmannus pag. 156. De confiniis Tridentinæ cum eadem res loquitur per se. Idem dixerim de Bellunensi.

(*b*) Appianus Lib. 3. de Bello Civili pag. 681. de Peonibus loquens comparate ad Rhætos ex una, ac Noricos ex altera parte, ait: *in medio amborum sedes habent*.

(*c*) Nomen *Breonum*, alias *Brionum*, *Breunorum*, *Brennorum*, significat quidem antiquæ Rhætiæ juxta OEnum fluvium incolas juxta Cluverium in Germania Antiqua, Cellarium in Notitia Orbis antiqui, Meichelbeckium in Vita S. Corbiniani &c. non ita tamen ut iis solis competeret, uti ex Bollando didicimus. De Cive quodam *Breonensi* loquuntur vetustiores Codices Vitæ S. Corbiniani, esto recentiores nuncupent *Veronensem*. Corbinianus & Erimbertus in suis itineribus Italicis sæpius Breonensibus innotuere, apud quos & Corbinianus Ursum cicurem reddidit. Josephum Frisingensem Episcopum *Breonensem* potius, quam *Veronensem*, autumat Meichelbeckius in Actis Josephi fol. mihi 48, esto alii dissentiant. Legesis Maffejum Veron. Illustr. Lib. XI. col. 350.

CAPUT VI.

Expenditur ſilentium Prudentii aliorumque antiquiorum Monumentorum, viſque inficialis argumenti inde deducta.

XC. QUÆ cum ita ſint, maneat ergo ſua vis, non quidem omnino inconcuſſa, ſed ſatis idonea ad fidem faciendam de primo Sabionenſi Præſule, Mabilloniano Poetæ. Periclitemur nunc de robore quoque inficialis argumenti, quod nobis altum Prudentii, ac Martyrologiorum omnium alicujus auctoritatis, ſilentium ſuppeditat. Equidem grandem admirationem cum primis ingerit totius retro antiquitatis ſilentium dubiam cap. II. ac IV. per totum Roſchmanno haud reddidiſſe hiſtoriam de Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani, cum tamen ipſe cap. VI. a pag. 20. ex ſimili venerandæ antiquitatis ſilentio invicte colligere ſe poſſe autumet adverſus Walaſſerum ac PP. Antuerpienſes, nec ſacrum corpus S. Caſſiani Imolenſis, neque ſacra Lipſana alterius S. Caſſiani, fuiſſe unquam Sabionæ aut Brixinæ cuſtodita. Aut igitur argumentum inficiale contra Sabionenſem Epiſcopatum robur habet, aut contra adſertum corpus alterutrius Caſſiani Brixinæ requieſcens evincit plane nihil. Tum ſi fas fuerit Roſchmanno pag. 81. detrahere fidem recentioribus Codicibus, qui S. Caſſianum a Fortunatiano Aquilejenſi ſacris infulis decoratum memorant, eo nomine quod de hoc antiquiores Codices alte ſileant; quid ni eadem plane cauſſa alti apud vetuſtiores Codices ſilentii integrum quoque fuerit certam denegare fidem longe poſterioris ejuſque ſequioris ævi Codicibus, qui Sabionenſem ſancti ejuſdem Martyris Epiſcopatum réferunt? (a)

XCI.

(a) Hoc inficiale argumentum adhibet quoque Maffejus Veron. Illuſtr. Lib. 8. a col. 215. adverſus Geminum Apoſtolatum, cum S. Barnabæ ad Mediolauenſes, tum S. Marci ad Aquilejenſes. Ejus verba ſunt. *Sant'Ambrogio nominando i più ſingolari de'ſuoi Predeceſſori, e che ſi erano più diſtinti nella profeſſion della fede, ricorda Mirecle, Euſtorgio, e Dionigi, nè di S. Barnaba fa menzione; come non la fanno i Calendarj, ed Antifenarj antichi di quella Chieſa.* Tum paulo ante. *Di Milano ſi ha un antico Catalogo nel Muſeo Italico del P. Mabillone, al quale furono poi aggiunti d'antico gli anni della Sede,*

XCI. Mirum itidem ac plusquam mirum certo persuadere sibi potuisse Roschmannum cap. IV. a pag. 12. quod quidem S. Cassianus inauguratus reapse fuerit Sabionensis Antistes, ac oviculas sibi concreditas rexerit ac paverit, antequam in exilium deportatus, aut fuga alio delatus, Martyr evaderet; & nihilo tamen minus Æditus, ut ut non indoctus & Clericus, a Prudentio consultus, nihil sciverit de Episcopatu Sabionensi ipsiusmet S. Cassiani, illumque penitus Prudentius ipse ignoraverit, quamlibet ambo cæteris longe propiores ævo, quo Cassianus cruentam pro Christo mortem oppetiit. Quis enim certo in animum queat inducere suum, remotiores tempore, quam proximio-

Sede, ed il giorno della morte. Ma che i nomi e l'ordine vengano da' Dittici, e sieno però autentici, si riconosce dal mancarvi Aussenzio che fu Ariano, poichè ne' Dittici, ch'era un contrasegno di comunione, i nomi degli Eretici, o non si scrivevano, o scritti si cancellavano. Ora nel detto Catalogo Mirocle, che per autorità d' Optato Milevitano nell' anno 313. intervenne a un Concilio in Roma, è il sesto Vescovo: o il quarto, o il quinto sedea in quel tempo de' nostri. Non vi si vede S. Barnaba, se non aggiunto da mano recentissima. Hæc ille inficiali obarmatus argumento contra Apostolatum S. Barnabæ ad Mediolanenses. Contra vero Apostolatum S. Marci ad Aquilejenses hæc subdit: *Aquileja comincia da S. Marco, il quale impossibil per verità non è, che da Roma, ove fu in compagnia di S. Pietro, passasse a predicare in quella Città, come impossibil non sarebbe parimente, che fosse passato in Italia, e a Milano, S. Barnaba. Ma dell' aver S. Marco predicato in Egitto, ed istituita la Chiesa d' Alessandria, espressa menzione fece Eusebio, d' Aquileja non fece motto. Non ne parlarono Ruffino Aquilejese, S. Girolamo, ed altri, che opportune occasioni n' ebbero &c.* Scio quidem de schola plures teruntii facere argumentum negans ab eo ratos se facile expedire posse dicendo: *argumentum negativum nihil probat*. Nihilo tamen minus plus pensi ipsum habere, quam illi putant, discimus a Doctore maximo D. Hieronymo, qui Lib. de Script. Eccl. uno motus argumento negante periodos Pauli & Theclæ & totam baptizati Leonis fabulam inter scripturas apocryphas computavit: *Quale enim est* (ait) *ut individuus comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit?* Quale enim est (ajo ego) ut assiduus Custos corporis S. Cassiani, ac omnium antiquissimus Encomiastes ejusdem, Episcopatum ejus, rem plane memoria dignam omnino nescierit? Certe Honoratus a S. Maria, ut ut alias neganti argumento parum propitius, in Proem. Tom. III. Animad. in Reg. & Usum Crit. pag. IX. illud firmissimum ingenue profitetur: *Cum sæcula multa præterierunt, quin Scriptor aliquis ejus facti mentionem fecerit: quando facta, de quibus altum silentium fuit, singularia atque illustria sunt, nec non ii, apud quos primum illorum vestigium est, plus æquo a fonte distant: aut Scriptores nimium creduli, vel minus adcurati, passim habentur &c.* An hujusmodi sint, qui primum evulgare cœperunt Sabionensem S. Cassiani Episcopatum, non deerunt, qui suspicentur.

miores, rem longe antiquissimam magis potuisse habere compertam?

XCII. Quodve omnem superare admirationem videri potest, illud est, Prudentium ex Pictura ab se visa, quæ universam Cassiani referebat historiam, rebusque ab eo gestis apprime respondebat, non potuisse quicquam edoceri de Episcopatu Sabionensi S. Martyris, si eo reapse fuisset potitus. Quandoquidem „ Prudentius refert (verba sunt Petri Calo in Legenda S.
„ Cassiani) quod cum Romam pergeret, & ad Civitatem Imo-
„ læ devenisset, sepulchrum Beati Cassiani Martyris visitavit.
„ Ubi cum humi prostratus jaceret, & tandem se erigens ima-
„ ginem Sancti Cassiani puerorum agmine videret vallatam, &
„ mille punctionibus perforatam, Ecclesiæ Custos advenit, ei-
„ que dixit: non est, hospes, id quod cernis inanis fabula, sed
„ Cassiani Martyris passio gloriosa, quam indicat hæc pictura.
„ Tunc ille in lacrymas resolutus iterum in terra ante tumu-
„ lum se prostravit, & ipsum amplexari & osculari cum multa
„ devotione cœpit, vota obtulit, preces devotas effudit, & ce-
„ ptum iter prosequens prosperis successibus abundavit, & ejus
„ martyrium versibus executus est &c. „ An potuit hic ignorare veras Cassiani Episcopales infulas? Nonne eas rescire debuisset a prælaudato Custode? Cur, oro, nullum in præfata Imagine sive Pictura signum deprehendebatur Episcopatus, nullaque Mitra, quæ Pontificium munus præseferret, uti factum longe postea Roschmannus adnotat cap. XVII. pag. 98? An quia tunc Episcopis ac Clericis æque ac Laicis una erat vulgaris Romana vestis, ne si propria veste ornarentur, dispicerenturque, continuo quærerentur ad necem, ut ex Du Mesnilio, ac Fleurio Roschmannus respondet pag. 15. ac 81? Sed aliud est, Episcopos & Clericos per compita & plateas coram Ethnicorum oculis, vulgari Romana veste indutos, declinandæ persecutionis gratia, obambulasse, aliud intra abditos Christianorum Templorum parietes sacram non gessisse vestem, suo cuique Ordini congruentem, ac nequidem eorundem templorum sacras imagines eam vel minimum adumbrasse: primum quidem facile concesserim, ast secundum minime. Nec video, qua caussa, si Cassianus agnitus fuisset ullo pacto a Christianis Foro-Cornelienfibus Episcopus (uti agnosci debuisse videtur, si fuisset uspiam tanta dignitate auctus) non fuisset id in vetusta Pictura a Prudentio conspecta notatum, ut nedum qua invictus Martyr, verum etiam qua Sanctus Episcopus, seræ posteritati in eadem adspectabilis præ-

præberetur. Certe posteaquam secutis temporibus opinio Foro-Cornelii obtinuit de Episcopatu Cassiani, tum pingi demum cœpit Infulati Martyris icon a Manzonio laudata, quam tamen non ad antiquius exemplar, sed ad Anonymi recentioris narrationem elaboratam, illud evincit contra Roschmannum pag. 19. quod antiquum exemplar a Prudentio probe notatum, nullum specimen Episcopatus ob oculos poneret.

XCIII. Quod autem Foro-Cornelienses latere difficile potuerit ejus Episcopatus, si eo reapse fuisset honestatus, conjici facile potest ex Breviario Membranaceo trecentorum circiter annorum in superiore Œni Valle a Roschmanno reperto, ut ipse habet Cap. XVI. pag. 84. ubi hæc cubitalia ejusdem Breviarii exscribit verba: *Cassianus igitur Corneliensis Oppidi Indigena fuit, parentibus nobilissimis procreatus* &c. Nec non ex iis etiam ejusdem Breviarii ab ipso prætermissis: *Doctor namque extitit liberalium Artium, & inde scholas longo tempore gubernavit*. &c. Quei ergo Foro-Cornelienses Christicolæ non dignoverint Concivem suum, ejusque Episcopale munus, quod alibi adeptus, eoque inibi egregie functus fuerat, nempe in præclara, uti Roschmanno placet, Noricorum Urbe Sabiona? Quei virum alias ortu clarissimum, sive, ut cum Petro Calo loquar, *Spectabilem genere*, nec non, ut habet recentior Auctor, *genere Cassium de Illustri Cassiorum Familia inter Romanos Patritia*, ac non instar D. Alexii in angulo paternæ domus sub alieno habitu latitantem, sed Ludimagistrum palam agentem, diuque apud ipsos diversatum, nusquam detexerint? Quei suo sat nomine ac fama celebrem ad se reducem siverint vile Calligraphi munus obire? Abecedarios nempe instruxisse pueros, sive potius rudimenta quædam duntaxat notariæ artis tradidisse, non autem notariam perfectam, quæ signis ac notis plurimis e suggestu ac rostris quam celerrime recitata verba celeritate pari exciperet conscriberetque, argumento est, quod ars hæc captu sit difficilior promptamque exercitati Scriptoris manum, adeoque adolescentes ex ephebis egressos requirat, uti idem fatetur Roschmannus pag. 83. Verba etiam a Prudentio usurpata, non qua Poeta (uti ad eludendam difficultatem licentia quadam poetica interpretatur Auctor pag. 82.) sed qua Historico, nimirum, *impube vulgus*, *Ephebi*, *Infantia*, anni *vincendi viribus*, *conatus tener infirmusque*, cæteraque id genus alia, a Prudentio adhibita, haud obscure portendunt puerilem ætatem perfectæ notariæ arti addiscendæ minime parem. Millia quidem multa notarum a Cassiano tradita innuit Prudentius; verum cum

phra-

phrasim hanc in ore puerorum ponat, eosque ita loquentes inducat:

Reddimus ergo tibi tam millia multa notarum.

Hæc adludendo ad notarum numerum, quas docuit Cassianus, per hyperbolem excessu nque dicta accipienda sunt; solenne est quippe pueris, artis sibi traditæ pertæsis, ejus difficultatem vehementer exaggerare. Certe Auctores utriusque Codicis San-Georgiani ac Antuerpiensis, queis plurimum fidit Auctor, quive Historicos, non Poetas, agunt, pueros, nullatenus vero adolescentes maturiores, a Cassiano edoctos, narrant. Quod ipsum omnia Martyrologia, Breviaria &c. testantur.

XCIV. Age tamen, non Abecedariam, sed notariam etiam omnibus numeris absolutam artem tradiderit. Nunquid hæc adeo præstans censenda, quæ viro apprime nobili, præsertim Episcopo, nihil abhorreat? Quin imo non prima litterarum elementa, non notariæ artis rudimenta, non notariam perfectam duntaxat docuerit, sed etiam, ut habent Fasti Brixinenses, *Grammaticam*, *Humanasque Litteras*. Quid tum? Nonne scita Patrum vetant quoque Episcopo ejuscemodi disciplinas tradere? Cur potius Imolenses, si proprio carebant Episcopo, ipsum, velut proprio orbatum Episcopatu, non delegerint, vel si proprium habebant, non curarunt, aut in partem solicitudinis pastoralis, donec immanis deferbuisset tempestas, a proprio Præsule adsciscì, aut alio saltem ad feliciorem colendam vineam destinari? Nonne piaculum erat, tantum lumen diu inibi delituisse sub modio, ac apostolico munere valere jusso, unice sese exercuisse in humilioribus disciplinis puerili ætati tradendis? An S. Valentinus Rhætiarum Episcopus in exilio positus illis unquam edocendis incubuit, & non potius alpes & montana nostra disseminando verbum Dei circuivit, ut habet Proprium Curiense, Anonymus Passaviensis, Gamansii Manuscriptum, & Acta omnia apud Roschmannum in Vita S. Valentini? Nunquid hujuscemodi perquam humile Magisterium in Episcopo usquam probatum? Audi quid de ipso Magisterio Grammaticæ olim exercito a quodam Desiderio Galliæ Episcopo censuerit Magnus Gregorius Epist. Lib. 9. Indict. IIII. Epist. 48. refferturque Parte I. Di. 86. ca. cum multa:
„ Cum multa (inquit) nobis bona de vestris fuissent studiis
„ nunciata, ita cordi nostro nata est lætitia, ut negare ea, quæ
„ sibi Fraternitas nostra concedenda poposcerat, minime paterc-
„ mur. Sed post hoc pervenit ad nos, quod sine verecundia
„ memorare non possumus, Fraternitatem suam Grammaticam
„ quibus-

„ quibusdam exponere (*a*). Quam rem ita moleste suscepimus; „ ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius dicta fue- „ runt, in gemitum & tristitiam verteremus, quia in uno se ore „ cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quam gra- „ ve nefandumque sit Episcopis canere, quod nec Laico reli- „ gioso conveniat, ipse considera. Et quamvis dilectissimus Fi- „ lius noster Candidus Presbyter postmodum veniens, hac de „ re subtiliter requisitus negaverit, atque conatus vos fuerit „ excusare, de nostris tamen animis non recessit, quia quanto „ execrabile sit hoc de Sacerdote enarrari, tanto utrum ita nec „ ne sit, districta & veraci oportet satisfactione cognosci: Un- „ de si post hoc evidenter ea, quæ ad nos perlata sunt, falsa „ esse claruerint, *nec vos nugis & sæcularibus litteris studere* (*b*) *con-* „ *tigerit*, *Deo nostro gratias agimus*, *qui cor vestrum maculari blas-* „ *phemis nefandorum* (*c*) *laudibus non permisit*: & de concedendis „ quæ poscitis, secure jam & sine aliqua dubitatione tractamus „ &c. „ Idque vehementius contra Cassianum urget, si *puerili-bus præfuerit studiis*, *& grege multo septus Magister litterarum sede-rit*, *anteaquam fidem quatiens tempestas sæva premeret Plebem dica-tam Christianæ Gloriæ*, ut phrasi utar ipsius Prudentii, ex cujus Hymno Ruinartius in Actis Selectis Martyr. de S. Cassiano infert: „ Ex his patet, Cassianum jam ante persecutionem pue- „ ris erudiendis operam dedisse. Unde mihi suspecta sunt Acta, „ quæ Baronius ad Martyrologium Romanum se invenisse dicit, „ quibus Cassianus Episcopus Brixiensis (corrige Brixinensis) „ fuisse dicitur. &c.

XCV. Quantum porro creditu difficile fuerit, Cassianum egisse Sabionæ Episcopum, *quin tamen hoc tum Imola sciverit*, uti autumat Auctor pag. 13. nemo est qui non videat. Verisimile quidem haud diffiteor, quod in hypothesi Sabionensis Episcopatus debuisset Ethnicis persecutoribus illum occulere, quo liberius vera fidei dogmata disseminaret; sed nulla videtur ratio, cur conci-

(*a*) Exponere Grammaticam idem forte heic loci est ac explicare Poetas, id quod Grammatici munus esse tradit Quintilianus Lib. I. cap. V. de Instit. Orator. Neque Grammatica magis profana est, quam Notarii professio, neque in sacro Præsule magis culpanda.

(*b*) Non ait: *Nec vos divino cantui immiscere hujusmodi profanas Grammaticorum fabulationes contigerit*, ut Desiderio illi a D. Gregorio exprobratum perperam censet Van Espen in Comment. ad Gratiani Decretum Part. I. Dist. LXXXVI.

(*c*) Jovis nimirum, quem profani Poetæ canunt.

concivibus suis, qui Christiano censebantur nomine, eundem reticeret; præsertim cum haud abnuat Roschmannus pag. 81. Cassianum ad Forum-Cornelii fuga fuisse delatum, ad *Christianos nempe illos*, inquit, *qui forsan clam ipsi jam antea noti fuerant, ac de solis Gentilibus Imolensibus* censeat, *latere potuisse Cassiani Episcopalem honorem; nihil enim fuerat aut in vestitu, aut in victu, quod Clericos ab Episcopo, aut hos omnes a communi hominum conditione distingueret*.

XCVI. Dein si ex ingente persecutione Cassiano solum vertendum fuerit, exiliumque subeundum, credamne ego facile nimis ad patriam regredi permissum? Quod, amabo, exilii genus ad patrium solum, idque longe optabilius, postliminio remeare? Hæcque ratio eo fortius instat ac premit, si fidem mereantur antiquiores Codices, quibus Roschmannus nititur, quibusque memoriæ proditum est apud eundem pag. 81, Urbem Sabionam a Paganis captam, ac S. Cassianum Imolam abductum. Certe in Legenda de S. Cassiano apud Petrum Calo sæpe citatum legere est. „ Cum sæva Paganorum rabies in Christi milites „ grassaretur, de Brixina, quæ est in Alemaniæ finibus, exire „ compulsus, cum Romam pergeret, ad Forum Syllæ, quod „ nunc Imola dicitur, & olim Cornelia vocabatur a Sylla Cor„ nelio potentissimo Romanorum ejus conditore, Domino du„ cente pervenit, vel ut dicit Frater Bartholomæus, captus il„ luc ducitur ab iniquis (*a*) „. Igitur si standum Bartholomæi testimonio, cujus auctoritatem usque adeo Roschmannus magnificat, minime ambigendum est, Imolam fuisse in exilium amandatum. Quod si nihilominus Auctor ad Forum-Cornelii ductum subdubitet, illucque fuga potius delatum credat; necesse est, ut mendosos confiteatur, uti reapse confiteri coactus est, ab se laudatos Codices, nosque non adigat, ut illis certam adjungamus fidem, sed potius nobis integrum faciat Prudentii ac Mar-

(*a*) In hypothesi prætensi Sabionensis D. Cassiani Præsulatus, non a Brixina, sed a Sabiona, pulsus dicendus, neque pulsus a Paganis, sed a Gentilibus. Pagani enim dicti sunt Ethnicæ superstitionis homines, a Religione Christiana alieni, eo quod tantummodo in pagis, sive ruri morarentur. Nam tum demum Paganorum nomen innlevit, cum passim in Urbibus vigeret Christiana Religio, ac illa Gentilium in solis Pagis servaretur. Id quod post Cassiani ævum accidisse constat. Videndi hac de re S. Maxim. Thaur. Episc., S. Gaudent. Brixien. Episc., S. Ambrosius Mediol. Episc., quos laudat ac sequitor Tartarottus in *Memorie Istoriche* pag. 29, ubi probat illorum opinionem, qui *pagani* nomen derivant a *pagis*, ac epocham ejus circa annum 365. constituunt.

Martyrologii Romani silentio inhærere, nihilve de re adeo incerta definite adfirmateque pronuntiare. Tametsi alioqui non videam, quomodo fuga potius, quam exilio, Cassianum ad patrium solum adpulisse Auctor credat, si vera sint, quæ ibidem ipse narrat, quod scilicet sanctus Præsul Sabionæ ab Infidelibus captus, in quadam turri detentus, ibique ferreis catenis vinctus, velut in ergastulo delituerit. En quot captu difficilia ab Adsertoribus Sabionensis S. Cassiani Episcopatus devoranda sint, quæ non nisi perquam validus stomachus decoquat.

XCVII. Tum si pro cavenda persecutione Ethnici Romani Imperatoris, quisquis demum fuerit, sive Julianus, sive Diocletianus, sive Valerianus, sive vetustior alius, sibi fuga consuluit; cur Forum-Cornelii patriam suam revertendi consilium cœpit? Nonne hæc Urbs Imperatoris persecutioni propinquior erat, ac magis in propatulo posita, adeoque eidem persecutioni magis obnoxia? Hoc ipsum, si cætera deforent, demonstrat Cassiani martyrio inibi adfecti exemplum, cum nullam legere uspiam sit martyrium, quo Sabiona illustrari meruerit. Haud profecto facile captu est, Persecutores Ethnicos in barbara Regione degentes, ita impotentem temperasse ac coercuisse furorem, ut minime in Pastorem ac Gregem fuerint debacchati, sed omnium vitæ pepercerint, unice Pastoris exilio sive fuga contenti. Non hac humanitate actum cum Martyribus Anauniensibus, in quorum vitam dire sævitum est a Paganis, quantumvis Christianorum Imperatorum Leges sub ea tempora id districte inhiberent.

XCVIII. Præterea exule hoc Sabionensi Pastore, quidni oves, queis ante præfuerat, dispersæ fuerint? Quidni aliqua saltem earum exilio mulctatum Pastorem fuerit sequuta? Quidni vel ipsa ad Forum-Cornelii se se receperit? Quidni demum sui Pastoris Episcopatum Christi cultoribus ibidem commorantibus prodiderit, ut omnibus dignitas ejusdem pateret; nec opus esset melius postea tempus præstolari, ut a Sabionensibus illam Imolenses addiscerent? Quis credat toto illo longo, sive, ut fatur Prudentius, *vetusto tempore*, quod effluxit a tempore martyrii S. Cassiani ad tempus usque, quo Prudentius Romam peregre profectus, atque ad Forum Syllæ delatus, martyrium ipsum, quemadmodum cum a pictura tum ab Ædituo acceperat, graphice concinneque descripsit, nullam omnino Sabionensis Episcopatus, quo insignitus vulgo circumfertur S. Martyr, vel minimam notitiam ad Imolenses pervenisse; præsertim cum Prudentii ævo nulla Eccle-

Ecclesiam turbaret persecutio, sed ea sub Christianis Imperatoribus tranquilla jam pace frueretur?

XCIX. Videat ergo Œnipontanus Scriptor an non firmum aliquid habeat hoc inficiale argumentum. Prudentius a pictura & Æditua de Actis S. Cassiani plene informatus nihil adtigit, nihilve scivit de Episcopatu Sabionensi ejusdem S. Martyris; ergo non est adseveranter adeo, ut ipse putat, credendus, hæcque opinio non nisi longe recentioris ætatis monumentis certam fidem haud facientibus suffulcitur. Atque hoc Prudentii silentium, mea quidem sententia, tanto plus momenti habet, si fuerit æquiori trutina expensum, quod illi, ut dictum supra, accedat omnium Martyrologiorum silentium, si unum excipias Codicem Antuerpiensem Martyrologii Usuardi, qui tamen Codex utpote sequioris ævi nihil efficit adversus cæterorum omnium, majore antiquitate ac auctoritate præstantium, perpetuum silentium: præterquam quod cum verba ejusdem Codicis, quæ Cassianum spectant, omnia sint, ut antea monuimus, mutuata ex Prudentio, unice dempto Episcopi titulo, desidereturque in eodem, cujus Civitatis Episcopus ipse fuerit, cum duntaxat legatur: *Cassiani Episcopi & Martyris* &c. planum est Episcopi nomen absque certis tabulis fuisse eidem adjectum.

C. Neque Roschmannus elevat vim inficialis argumenti, dum inquit pag. 14. ac 12. Prudentium sibi neutiquam proposuisse Acta texere S. Cassiani, sed duntaxat novi ac inauditi Martyrii carmen pangere, unumque hoc præstituisse sibi, reliqua omnia nihil fuisse moratum, atque hinc Tyranni persecutoris nihil meminisse, nec Præsidis, aut Præfecti, nihil de sanguinis claritate, de patria, de anno, ac de die martyrii nihil; ut mirum nequaquam sit, si vel de Episcopatu nullam mentionem injecerit. Non, inquam, hæc extenuant vim præfati argumenti, alias eadem plane ratione & Auctor Codicis San-Georgiani, & Auctor quoque Codicis Antuerpiensis, qui eundem sibi præfixerunt scopum Prudentii, cum ab eo cætera omnia, fatente Roschmanno, deprompserint, debuissent itidem de Episcopatu alte silere. Ut quid etiam injecta Episcopi mentione opus erat latius extra martyrium excurrere, cum satis esset in uno titulo Carminis Episcopatum innuere hoc pacto: *Passio S. Cassiani Episcopi & Martyris*, ut in Hymnis antecedentibus ac consequentibus memini me apud Prudentium legisse? Tantæne molis erat unum *Episcopi* verbulum titulo adnectere, ut si illud addidisset a proposito scopo mox aberrasset? Nunquid sacer Poeta aliorum Sanctorum

Præsulum Martyrium canens præsulatum reticuit, & non potius quam disertissime patefecit? Cur ergo Prudentiani Carminis titulus ita solumodo conceptus est:

Passio S. Cassiani Martyris?

Titulus (inquit Roschmannus. pag 11.) *huic Carmini a Prudentio, ut puto, præfixus est; ita enim in Collectione Maittairii legitur*. Et esto eo fuisset proposito Prudentius, ut vellet Acta Martyris omnibus numeris absoluta reddere, ac nihil insuper desiderandum relinquere, & reliquum facere, amplius præstare nequiisset, si plus nec ipse, nec Imola universa sciebat, ut itidem pertendit Roschmannus.

CI. Cæterum Prudentius, dum testimonium perhibuit, Cassianum in id potissimum incubuisse, ac operam navasse suam, ut pueros in scriptoria arte Foro-Cornelii instituendos susciperet, ex abjecto hoc munere eo loci exercito, satis indigitavit nedum S. Martyris obscura natalia, sed & ipsam patriam; neque enim opus est advenas & peregrinos ex longinquis oris ad scriptoriam sive etiam notariam artem pueris tradendam accersere. Pueros namque, non autem grandiusculos adolescentes, ab ipso edoctos jam diximus; ac si deessent cætera, de quibus supra, illa aperte id demonstrarent Prudentii verba, quibus cecinit:

Respondent: agmen tenerum ac puerile gubernat,
  Fictis notare verba signis imbuens.
Ducite conclamat, captivum ducite, & ultro
  Donetur ipsis verberator parvulis &c.
Major tortor erat, qui summa pupugerat infans,
  Quam qui profunda perforarat viscera &c.

Quod enim pueri hanc perscribendarum notarum artem discerent, patet ex illis Ausonii verbis:

Puer Notarum præpetum solers minister.

Et quamvis lubens concesserim, pueros a Cassiano instructos plus quam Abecedariam didicisse artem, ac insuper notariæ artis rudimenta quædam ab illo accepisse, nihil tamen hoc esse contendo, quod puerorum impuberum captum excederet. Rudimenta quippe aliqua notariæ artis una cum arte abecedaria ad pueriles olim spectasse Disciplinas legere est apud Lipsium in Epistola ad Lessium, ubi dicitur: *in puerilibus litteris prima est abecedaria, secunda notaria*: atque hæc ad prima litterarum rudimenta pertinuisse testatur Suetonius aqud Roschmannum pag. 124. Videtur itaque Prudentius non poetice sed vere, de pueris loquutus,

æque

æque ac Martyrologium Romanum 13. Julii de Lectoribus infantulis, modulos ecclesiasticos concinentibus, qui sub Hunnerico Rege Ariano dira perpessi sunt; æque etiam ac Venantius Fortunatus Lib. 2. in Carm. ad Clerum Parisiacum de impuberibus pueris divinas laudes modulantibus canens:

Timpana rauca senum puerilis fistula mulcet &c.
Pontificis monitis Clerus, Plebs, psallit & infans &c.

CII. Quod autem Prudentius retulerit sævam tempestatem, quæ fidem quatiebat, plebemque Christianæ gloriæ dicatam Foro-Syllæ premebat, prætermisso Cæsare persecutore, ac Præside sive Præfecto, id forte argumento est, tumultuariam fuisse ac popularem persecutionem, neutiquam vero ex unius Judicis sententia legitime profectam; quemadmodum & Anaunienses Martyres ex tumultuaria & populari persecutione interiisse constat. Ita quoque haud inverisimile est, ex populari duntaxat persecutione eorum, qui Ariana hæresi infecti erant, Ingenuinum exulare fuisse coactum. Certe discimus a luculento de S. Cassiano Martyre sermone, qui in Operibus prostat S. Petri Damiani, traditum fuisse pueris toto corpore stylis peracutis terebrandum, eo quod non Judicis unius sententiam, sed *Judicum Decreta* contemneret. Quod insuper roboratur ex Codice sæculi XIV. (*a*), in quo inter cætera canitur de S. Cassiano:

Judicum sævitia
Datur ad supplicia
Dum non libat idolis &c.

Nec non ex Petro Calo, qui memorat S. Cassianum apud *Præsidentes* graviter accusatum, sententiam in eum promulgatam a *crudelibus Tyrannis* &c. Id quod non obscure innuit, populi primores in ejus necem quam sævissimam conspirasse, potissimum forte Idolorum sacrilegos sacerdotes, eo quod, ut inquit Prudentius, *aris supplicare spreverat*. Sæpius enim sacerdotes idolorum in more habuisse adversus Christi cultores multitudinem, vel inconsultis Judicibus, concitare, plus notum est, quam ut egeat exemplis. Non negaverim tamen, unum ex multis fuisse præcipuum

(*a*) Eo in Codice hæc legere est: „ Hunc librum comparavit Dominus „ Cunradus de Vilandeis de Pradell „ Canonicus Ecclesiæ Brixinensis, nec „ non Plebanus in stiffs, qui scriptus „ & completus est per Dominum Hainricum de Arena Canonicum Ecclesiæ „ S. Mariæ Brixiaæ sub anno Domini „ 1272. in Vigilia S. Jacobi Apostoli „ Majoris.

cipuum artificem pœnarum, quas impube vulgus ſancto Martyri irrogavit, juxta illud Prudentii.

Pœnarum artifici quærenti quod genus artis
Vir noſſet, alto tam rebellis ſpiritu &c.

CIII. A vetuſtiore etiam tempore, quo martyrium accidiſſe S. Caſſiani, ex teſtimonio picturæ ac Æditui Prudentius intellexerat, facile potuit excidiſſe anni ac diei martyrio clari memoria. Si vero quis dicat eodem pacto potuiſſe memoriam quoque interire Sabionenſis ejuſdem S. Martyris Epiſcopatus; conſequens erit, nihil de hoc, æque ac de illis, pronuntiari poſſe, ac omnia ſub natalitiis tenebris relinquenda, ſupervacaneumque eſſe illorum molimen, qui incertis conjecturis veritatem in Democriti puteo latitantem conantur eruere, ac in apertam lucem proferre. Certe Tillemontius Tom. V. adnumerat S. Caſſianum inter ſanctos trium priorum ſæculorum Martyres, quorum martyrii epocha incomperta eſt pag. 531. ac 532.

CIV. Peto præterea a Roſchmanno, cur Prudentius, qui juxta ipſum pag. 131. *Nihil plane aliud, quam mortis ſententiam, martyrii novitatem, & atrocitatem, ac mortem exprimere voluit*, reticuerit perſecutorem, a cujus Tribunali ea mortis ſententia manavit? Cur mortem per inſtrumenta duntaxat Litteraria illa tam retulerit, cum tamen juxta Bartholomæum Tridentinum gladio invictus Chriſti Confeſſor poſtremo interierit? Cur Martyrologium Romanum 13. Auguſti utriuſque Caſſiani *Imolenſis* & *Tudertani* memoriam faciens, illum duntaxat Martyrem dixit, neque perſecutoris nomen expreſſerit; ſecus vero hunc Epiſcopum & Martyrem ſub Diocletiano Imperatore paſſum diſertiſſime prædicet? Cur omnes ejuſdem Martyris veteres Præcones ad Prudentium adtemperarint elogia ſua omnia, ſi ipſe in deſcribendo hujuſmodi Martyrio, Poetam potius quam Hiſtoricum egerit, nec Acta omnibus numeris abſoluta dederit, ſed mutila & manca, ſeu (ut Roſchmanni phraſi utar) martyrium, non Acta martyrii? Cur demum S. Petrus Damianus, qui ferm. XXXIX. de S. Caſſiano Martyre luculentiſſime paſſionem depinxit, adeo ut nec ipſum Etymon S. Martyris intactum præterierit, nullam tamen mentionem nobilium natalium, perſecutoris Valeriani, Epiſcopatus Sabionenſis &c. injecerit, quamlibet rem diſerte dixerit ab ſe relatam, *ut geſtorum illius teſtatur Hiſtoria*? Siccine Veteres omnes ante Bartholomæum Tridentinum nihil addere auſi ſunt Prudentii ſilentio, nec tamen hoc quicquam penſi habet apud Roſchmannum?

CV. Haud egre quidem concesserim fieri potuisse, ut Prudentius alicujus Martyris carmen panxerit, illius Præsulatus prorsus ignarus; non tamen si sermo sit de Cassiano, qui si reapse fuisset Episcopatu sublimatus, non videtur Prudentius id potuisse ignorare, utpote de S. Cassiani Actis probe, ut paulo ante notavimus, per picturam, per Æдituum, per ipsos Christianos Imolenses, per traditionem apud eos ad sua usque tempora propagatam edoctus. Quam ille qui propius accedit ad fontem, eo puriores potat aquas; tam Prudentius Martyrio S. Cassiani propinquior, certiora de ejusdem Actis potuit haurire.

CVI. Quod autem nonnulli jactitant, non deesse exempla apud Prudentium, queis probatur, ipsum aliquando alicujus vere Martyris & Episcopi descripsisse quidem martyrium, sed alto silentio præteriisse Episcopatum; in votis esset, ut exempla isthæc in propatulo posuissent: sunt enim Viri in Carminibus Prudentii apprime versati, qui nisi id viderint, haud credunt. Certe ego haud oscitanter percurri *Peristephanon* Prudentii, seù ejus Carmina de Coronis SS. Martyrum, atque in iisdem deprehendi plures ab eo ut Martyres simul & Episcopos laudatos, nullum vero offendere licuit, qui vere Martyr & Episcopus fuerit, & tamen de ejus Episcopatu ipse nihil tetigerit. Equidem in Hymno de S. Fructuoso Episcopo Tarraconensi sanctus Poeta ita canit:

Ad tantum decus ex Episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat:

Nec non in Hymno de S. Cypriano Carthaginensi, quem tamen cum Cypriano Mago perperam confundit:

His igitur meritis dignissimus usque Episcopale
Provehitur Solium, Doctor capit & Sedile summum.

Ita quoque Episcopalem Quirini Martyris dignitatem (a) nequaquam reticuit. Ex quo alia eruitur pro sententia Roschmanno adversa

(a) Ambigendum neutiquam est Quirinum, cujus nobile martyrium Prudentius cecinit, fuisse Episcopum. Sunt quidem qui eum Seisciæ, Plinio, Ptolomæo, aliisque notæ, Apostolum duntaxat & Martyrem agnoscunt, non autem ejus Episcopum; at ii ipsi tamen eundem confitentur Episcopum Laureacensem. De Quirino Prudentii versibus celebrato Martyrologium Romanum 4. Jun. *Scifcia in Illyrico Sancti Quirini Episcopi &c.* de quo etiam Venantius Fortunat. Lib. 7.

Africa Cyprianum dat, Scifcia clara Quirinum.

Ejus corpus Bojoariam tempore Pipini Regis translatum memorant Molanus, Cuspinianus, Meichelbeckius &c. Videsis Kalend. Antiquiss. apud Roschmannum pag. 107.

adversa conjectura, quod si D. Cassianus Episcopalibus Infulis, æque ac martyrii laurea, reapse coruscasset, ejusdem Episcopatum sacer Poeta nullatenus dissimulasset.

CAPUT VII.

Quæ in Roschmanni Opere laudanda, quæve in eodem ac in ipsis Fastis Brixinensibus, castiganda indigitantur, quid demum post theoretice disputata pro praxi, ut ajunt, sentiendum concluditur.

CVII. POstremo ne longius, quam par est, protrahatur Dissertatio, neve similis videar eorum, qui plus æquo morosi censores omnia carpunt, nihilque laudant, ac solis glandibus ac quisquiliis Auctorum colligendis notandisque videntur addicti; operæ pretium me facturum existimo, antequam de tabula manum subducam, ea quoque indigitare, in quibus Roschmannus rem acu tetigisse videtur, ac operam suam egregie collocasse. Laudo ergo quam lubentissime Œnipontanum Auctorem Antiquitatum Tyrolensium Promum Condum, quod San-Georgiano Codice, aliisque id genus Monumentis ab se auspicato repertis adversus PP. Antuerpienses ostenderit, haud primum fuisse Petrum de Natalibus, qui de Præsulatu Sabionensi S. Cassiani verba fecerit; quodve a fabulis & ineptiis multis Acta Imolensis Martyris purgaverit, ratumque habuerit, eum nec sub Juliano Imperatore passum, neque a Fortunatiano Patriarcha Aquilejensi ordinatum, neque Brixinam natalem Urbem agnovisse, neque Civem Sabionensem fuisse &c. Sed dudum ante Julianum martyrio coronatum ex gravissimis apud Raderum Crosini Episcopi monumentis didicerit. Laudo quod antiqua Diptycha, Breviaria, Diplomata, graviores Auctores haud oscitanter pervolverit, secus vero recentiora pauca probaverit, nec Proprio (ut vocant) Brixinensi sive de S. Cassiano, sive de Ingenuino sermonem habente excepto illudque utrumque scopa ac spongia indigere censuerit, ad id animatus exemplo Breviarii Mediolanensis, de cujus emendatione in re plane ut lac lacti huic simili,

li,

li, loquitur Saxius in præclaro Opere de Possessione Mediolanensi SS. Corporum Protasii & Gervasii. Laudo quod Ingenuini Sanctitatem fassus fuerit, ac ejus Acta a fabellis absterserit, laudaveritque, non eo nomine, quod in Synodo Mariana, ac in Libello ad Mauritium Imperatorem, bonam caussam oraverit, cum id potius ejus sanctitati plurimum detrahat, dum aperto schismati temere favit; sed quia pro captivis Evino Duci Tridentino subjectis intercesserit, quod facti pœnitens ad Ecclesiæ unitatem redierit, quodve tandem Christi caussa, non tamen Authari persequente, adversa passus obierit, miraculisque claruerit, ac in eum Henricum ipsum sanctum perquam devotum ostenderit. Laudo, quod D. Ingenuinum coævum minime fecerit nec Theodoni III. neque D. Ruperto, sed hujus Salisburgensis primi Præsulis ac Apostoli Epocham sæculo primum octavo ineunte, aut septimo exeunte, posuerit, aliaque id genus plura in bono lumine collocarit. Laudo, quod translationem Sabionensis Sedis Brixinam aliquo pacto ante Albuinum sub Richperto factam ex Diplomate Ottonis II. statuerit, quodve ex charta Pagensi apud Meichelbeckium post annum 828. *Arbeonem* sive Aribonem Sabionensem, ac locum, qui vel tunc *Pressena* diceretur, retexerit. Laudo, quod Hymnum Prudentii egregio plane Commentario, multaque eruditione referto, illustraverit, quodve adversus Cangium, Berettam, Boschium &c. una cum Canisio, Mabillonio, Eckardo, ac Muratorio versibus Leoninis antiquiorem Chronotaxim statuerit, maleque confutam demonstraverit opinionem eorum, qui ubi aliquid Leonini concentus audiunt, illud continuo ad sæculum XI. & subsequentia pertinere sibi persuadent. Laudo, quod Artem notariam, quam Cassianus docuit, a pure puteque Abecedaria sive Scriptoria probe distinxerit, quod Sabionæ antiquitatem contra Burgklegchnerum commonstraverit, cum ex Itinerario, tum ex tabula Peutingeriana, nec non ex Paulo Diacono, eamque in veteri *Sublavione*, *Sublabione*, sive *Sabione* repererit, de *Stonis*, *Breonibus*, *Rhætis &c.* erudite differuerit; quodve palam fecerit, ex Diplomatibus, in quibus S. Cassianus duntaxat Martyr vocitatur, nihil evinci posse ipsum Episcopali dignitate caruisse. Laudo demum, quod conjecturis suis undique conquisitis, ac responsis ad argumenta suorum Adversariorum adhibitis, Præsulatum Sabionensem S. Cassiani paulo verisimiliorem, quam cæteri Scriptores, de eodem agentes, reddiderit, ipsique tanquam his aliisque nominibus *indefesso*, ut ipsa vocat se in Nuncupatoria Epistola, *Antiquitatum Sabionen-*

bionensium scrutatori, Prudentianum illud ingeminandum nequaquam invideo, sed lubens concedo:

Dextris successibus utor:
Cassianum prædico.

Quod autem conjecturas suas usque adeo provexerit, ut adversæ sententiæ fautores temeritatis ac emotæ mentis insimulare ausus fuerit, quodve sibi sumpserit quadam velut apotheosi Sanctorum fastis Agnellum Tridentinum adscribere, etsi nusquam inter Divos suos a Tridentina Ecclesia recensitum; neque ipsum puduerit Bollandianis viris eruditissimis, atque in Sanctorum Actis diurna nocturnaque manu versandis apprime subactis, objecisse pag. 1. *omni fere litterario apparatu sacro & profano & præcipue MSS. nostris Codicibus destitutos esse*. Tum quoque alias controversias a Viris doctis versari solitas contempserit tanquam *nugas quasdam hodie aut heri natas* pag. 111. &c. in hoc plane non laudo.

CVIII. Igitur, ut paucis rem perstringam, in ea sententia sum, omnibus ultro citroque pensiculatis, probabiles adferri posse conjecturas, cum pro adfirmando, tum pro negando S. Cassiani Præsulatu, adeoque quam certum est ejusdem Martyrium, tam incerta esse cætera, quæ de eodem circumferuntur, ut ea sunt quæ traduntur de ejus Episcopatu Sabionæ transacto, de claritate Natalium, de Persecutore, de die passionis &c., in quibus statuendis satius est, opinor ego, a ferenda sententia temperare, quam de re prorsus incomperta judicium proferre. Quia porro ex una parte in incerto versamur, ex alia vero *in dubio melior est conditio possidentis*; non videtur Ecclesia Brixinensis a possessione pacifica cultus antiqui, ab ipsa delati S. Cassiano ut Martyri ac Episcopo quoque suo, ullatenus deturbanda. Quod ipsum multo magis de Sanctitate S. Ingenuini, quæ nudius tertius ab eruditis quibusdam Viris in dubium revocari cœpit, pronuntiandum existimo. Sed præstat audire Honoratum a S. Maria in animadv. ad Regulas & usum Criticæ Lib. 1. Diss. II. art. III. §. II. pag. mihi 35. sequentia diuturnæ ac pacificæ in hac re possessionis privilegia recensentis. „ Primum est, inquit, ex hac possessione effici præscriptionem quandam, adversus quam nihil „ inscribere possint, nisi monumenta præ manibus habeant, quæ „ possessionis hujus injustitiam ostendant. Alterum est, tametsi „ jus Fidelium de sanctis institutis istis evidens non esset, non „ posse tamen rectum Judicem secus facere, quin pronuntiet „ pro illis: quandoquidem, ubi jura æqualia sunt, possessio an„ tecedit: imo quoties etiam jus dubium est & incertum, quemadmo-

„ admodum contendunt esse illud Ecclesiæ & Christianorum de „ piis Traditionibus, tum melior certe est conditio possidentis. „ Quanti igitur non erit possessio multorum sæculorum, cujus „ confirmatum fuit jus consuetudine perpetua, & Scriptoris ali- „ cujus testimonio: possessio, inquam, continenter pacifica, opti- „ mæque fidei, neque unquam gravi aliqua oppositione turba- „ ta, ante postrema hæc tempora, in quibus Critice, fulta qui- „ busdam locis communibus, argumentis negantibus, levibus- „ que conjecturis eam perturbare & interrumpere conata est? „ Postremum possessionis hujus privilegium est, eos, qui gau- „ dent illo, cogi non posse, ut jus suum rationibus confirment. „ Ipsorum etenim est, qui de illo controversiam movent in me- „ dium adducere momenta constantissima, quibus possessio hæc, „ & juris legitimi inde orta præscriptio, destruatur &c. „ Hactenus Honoratus: Quo etiam spectat illud D. Augustini Epist. 118. & 119. ad Januar. *Quæ consuetudine Ecclesiæ roborata sunt, haud convellenda esse*. Idque in re de qua in præsentia disputamus, maxime locum habet: cum agatur de S. Cassiano, qui nedum in Diœcesibus Brixinensi, Ratisponensi, & Imolensi, sed & in Patriarchatibus Aquilejensi, & Veneto, tum alibi quoque ut Martyr & Episcopus colitur; agatur quoque de D. Ingenuino, cujus sanctitas universali cultui Fidelium in Martyrologio Romano obversatur. Hac ipsa pacifica possessione fultus, nequicquam reclamantibus severioribus Criticis, subsistit geminus Apostolatus cum S. Marci ad Aquilejenses, tum S. Barnabæ ad Mediolanenses, quorum primus a doctissimo Rubeo, secundus ab eruditissimo Saxio egregie propugnatur. Etenim quemadmodum scite tradit Cl. Meichelbeckius Tom. I. Hist. Frising. Differt. II. de Relig. Christ. in Bojar. super. pag. x. *ut conjecturis & effugiis ex solo ingenii artificio profectis, post tot sæculorum quietam, ut vocant, possessionem, tantis firmamentis innixam, acquiescamus, persuaderi nostris, aliisque viris eruditis nunquam poterit*. Et quamvis traditio in eo quod spectat S. Cassianum Episcopum non sit omnino decretoria, non est tamen prorsus contemnenda; ac si audiamus Mezgerum, in similibus de Ecclesiarum antiquitate Controversiis *traditio Majorum plus ponderis habet, quam conjecturæ posterorum, eorum præsertim, qui locum, de quo agitur, nunquam viderunt*, uti loquitur in exordio Differt. Præl. Histor. Chron. de Antiquitate Ecclesiæ Salisburgensis & Monasterii S. Petri. Consentit emunctioris naris Criticus Natalis Alexander in Differtat. XIII. sæc. I. Sect. I. scribens: „ Catholici ac religiosi Theologi officium

„ esse, Traditiones Ecclesiarum, ubi de illarum Originibus agi-
„ tur, sequi potius quam evertere.

CIX. Ex hactenus dictis ea, qua polles, Vir praeclarissime, perspicacissima mentis acie, facile perspicis, nedum plura in Roschmanni Conjecturali Opere castiganda, verum etiam in fastis ipsis Brixinensibus haud pauca quoque corrigenda, ac emendanda. In Actis S. Gassiani spongiam certe merentur, quae referuntur de ipsius ordinatione facta ab Aquilejensi Patriarcha, deque ejus Martyrio sub Juliano Apostata consignato &c. In Actis autem S. Ingenuini sequentia expungenda sunt, nimirum: Tria Justiniani Imperatoris Capitula fuisse a Synodo V. damnata; Ingenuinum una cum paucis Orthodoxis Marianam Synodum praesentia & auctoritate sua laudabiliter condecorasse, Severum Patriarcham Apuilejensem in ea Synodo revocasse errorem, atque in gremium Catholicae Ecclesiae fuisse receptum; sub Autharit Longobardorum Rege Ingenuini exilium & obitum contigisse &c. Quorum omnium ac aliorum plurium falsitatem demonstrabunt Fasti ipsi Brixinenses de SS. Cassiano, Ingenuino & Albuino agentes, quos censoriis notis castigatos, instar cujusdam Mantissae, ad calcem dabimus. Dum autem praefata, caeteraque id genus, quae ab omni abhorrent veritatis specie, iis quorum interest, emendanda proponimus, intactum relinqui posse censemus illum titulum: *Officium S. Cassiani Episcopi & Martyris Patroni Ecclesiae Brixinensis*, eo ipso videlicet nomine, quo Gavantus laudatus ab Eminentiss. Lambertino Lib. 4. & ult. de Beat. & Canoniz. part. 2. cap. 13. num. 5. exponens correctionem secundarum Lectionum Breviarii, in quibus Sanctorum Historiae referuntur, factam a Cardinalibus Baronio & Bellarmino tempore Clem. VIII. testatur eis perdifficile visum fuisse *ad Historiae veritatem omnia revocare, & satius eorum prudentiae visum fuisse nonnulla retinere suffulta testimonio alicujus gravis Authoris, utpote quae sua probabilitate non carebant, & falsitatis argui non poterant, quamvis contraria sententiae a pluribus aliis esset recepta*. Neque videatur omni prorsus veri specie destitui, Sabionensi Valli olim obscurae, ac barbarae, atque intra ferarum latibula positae, adeo mature Evangelii lumen illuxisse, ut in saeva ipsa persecutionum procella Episcopum obtinere potuerit, qui in Christianae fidei mysteriis eandem erudiret, neque Evangelicae doctrinae latius propagandae obstitisse Imperatores Christiano Nomini perquam infensos. Praeterquam quod enim forte quo Regiones remotiores erant a Roma, ubi in Christianos crudeliora Edicta manabant, eo minus persecutioni patebant;

bant; illud eſt etiam, quod haud omnes ante Conſtantinum magnum Imperatores adeo fuerint Nomini Chriſtiano inimici, ut nihil Chriſtianis indulſerint. Philippum Imperatorem fuiſſe Chriſtianum, eſto nonnulli in dubium revocent, docet tamen Vincentius Lirinenſis in ſuo adverſus prophanas hæreſeon novitates Libello vere aureo cap. 22. his verbis: „ Sed & ejuſdem (*Ori-* „ *genis)* Epiſtolæ teſtimonium perhibent, quas ad Philippum Im- „ peratorem, qui primus Romanorum Principum Chriſtianus „ fuit, Chriſtiani Magiſterii auctoritate conſcripſit. „ Narrat etiam Vitus Arembeckius in celebri ſuo Chronico Bojariorum: „ Conſtare, temporibus Imperatoris Cari de Narbona Frixiniæ „ Baſilicam Chriſti fidelium fuiſſe &c. „ Legio etiam fulminatrix, quæ, Chriſtum profeſſa, miro inſuetoque prodigio in Marcomannos inclaruit ſub M. Aurelio Antonino, non potuit non reddere ipſum in Chriſtianos, ſin minus propitium, ſaltem minus infenſum, ac celebre Chriſti nomen in tranſitu ac reditu per Teriolim efficere. Inſigne Brixinæ hodie videre eſt Numiſma, quod Antonino Pio fulmen (ob legionem fulminatricem) adtribuit. Quæ igitur a me hactenus producta ſunt, minime apodictica prorſuſque decretoria putaverim ad penitus infringendam evertendamve Sabionenſium traditionem. Præſertim quia inficiale argumentum a nobis adductum, ac contra Roſchmannum defenſatum, eſto plus penſi habeat, quam Scriptor ille exiſtimat, non tamen inconcuſſam vim præfert ad adimendam penitus omnem adverſæ ſententiæ probabilitatem *(a)*. Et eſto, quod argumentum ajens ſpectat, nullum hactenus repertum fuerit monumentum antiquius Anonymi Mabilloniani teſtimonio, quo Ingenuinus primus Sabionenſis Eccleſiæ audit Epiſcopus, neque ſatis ad illud diluendum eſſe queant Roſchmanni reſponſa, quæ ſupra refellimus; quali quali tamen veri ſpecie ac probabilitate ea ad illud adhiberi forte poſſet reſponſio, quod primus ab Anonymo nuncupetur Sabionenſis Præſul, primus inquam, *Ordinarius*, cum S. Caſſianus fuerit forte tantum *Regionarius* Epiſcopus,

(*a*) Id patet exemplo S. Lucæ, quem Roſchmannus Galliæ Ciſalpinæ per Rhætiam exporrectæ primum Apoſtolum facit pag. 41. Quippe D. Hieronymus de ejus martyrio penitos ſilet, cum tamen de eodem diſerte loquantur Gregorius Nazianzenus, Paulinus Nolanus, Gaudentius Brixianus, Nicephorus &c. Hinc Baronius in Not. ad Rom. Martyr. 18. Oct. inquit: *an autem Martyrio fuerit coronatus, dubium relictum videtur*. Eadem ratione dubius videri poteſt D. Caſſiani Sabionenſis Epiſcopatus. Alia quoque exempla in numerato forent, ſi luberet adferre.

ſcopus, adeoque hoc ipſo nomine in Anonymi Mabilloniani Catalogo, haud ſecus quam cæteri Regionarii Præſules, prætermiſſus. Quo pacto Cl. Saxius in Vindiciis de Adventu Mediolanum S. Barnabæ Apoſtoli Cap. VI. diſputans, an omiſſio nominis S. Barnabæ in ſimili antiquo Epiſcoporum Mediolanenſium Catalogo apud eundem Mabillonium, traditionem de præfato adventu prorſus evertat? in negantem abiit ſententiam, cenſuitque: „ Scriptorem, qui exarando prædicto Catalogo manum appoſuit, „ illum inchoaſſe ab eo Epiſcopo, qui fixam habuit apud nos „ ſedem; idem enim paſſim peractum videmus in Catalogis plu„ rium Inſubricæ Provinciæ Eccleſiarum, quæ licet (Ughello „ teſte) primum Inſtitutorem Sanctum Barnabam habuiſſe glo„ rientur, tamen Epiſcoporum ſeriem ab eo tantum Præſule de„ ducunt, quem Sanctus Apoſtolus ad ſtabilem Dominici gregis „ curam eiſdem Paſtorem reliquit, cum Apoſtolicum miniſte„ rium alio S. Barnabam avocaret. „ Hinc in MS. Gothico apud Reſchium pag. 4. prima ejuſdem parte, antiquiori manu exarata, *S. Caſſianus* dicitur *primus Sabion. Apoſtolus*; & in ſecunda duntaxat illius parte recentiori manu, diverſoque ſtylo, conſcripta, vocatur *ejus loci Epiſcopus*. Itaque primus dici poteſt S. Ingenuinus Sabionenſis Epiſcopus ordinarius *(a)*; aut, ſicut inquit idem pervetuſtus MS. par. 1., *primus* qui Sabionenſem Eccleſiam *propria morte ac ſepultura decoraverit*; vel primus non Sabionenſis Eccleſiæ primum inſtitutæ, ſed poſt excidium ipſi ab Hunnis & Attila illatum primum inſtauratæ; ac primus etiam a quo minus interrupta ſucceſſio ducitur Sabionenſium ac poſtea Brixinenſium Epiſcoporum: adeo ut ſicut Richpertus primus dicitur poſt translatam Sabionenſem Sedem Brixinenſis Epiſcopus, ita S. Ingenuinus dici queat poſt reſtauratam Sabionenſem Eccleſiam primus ejuſdem Antiſtes. Accedit, illud excipi poſſe adverſus Anonymi Mabilloniani Catalogum de Sabionenſibus Epiſcopis, ut minus exactum: quod, cum inter Ingenuinum, qui ſexto labente ſæculo Sabionenſem rexit Eccleſiam, & Alimum, qui octavo labente ſæculo eidem præfuit, duo tantum medient, nempe Maſtulo & Joannes, difficile videatur tanto intervallo temporis, quod inter illos effluxit, duos duntaxat Epiſcopos illam Eccleſiam gubernaſſe. Quæ etiam contra Ingenuini prædeceſſores in univerſa Diſſertatione protulimus, quamvis magna, ut mihi quidem vide-

(a) Interpretationem hanc haud improbare videntur ipſi Mabillonius & Pagius.

videtur probabilitate nitantur, ac satis superque esse possint ad teterrimam diluendam censuram temeritatis ac emotæ mentis a Roschmanno suis Adversariis inustam; haud tamen (rursus repeto) ita evidentia ac decretoria crediderim, ut contrariam sententiam, prædecessores admittentem, a Bollandianis probatam, omnino improbabilem, prosusque falsam evincant. Notanter S. Lucanus, quem Ingennino præivisse iidem tradunt Bollandiani, eadem plane ratione dici potest a Catalogis Episcoporum Brixinensium abesse, qua in serie Episcoporum Passaviensium deest S. Valentinus. Hinc vel ab exordio Dissertationis monuimus, quod si parcius loquutus fuisset Roschmannus, ac intra solum conjecturarum ambitum sese modeste juxta præfixum Operi titulum continuisset, nulla fuisset caussa, ut in ipsum calamum stringeremus, quin imo eam in defendendo S. Cassiani Præsulatu sibi vendicasset laudem, quam Rubeus & Saxius in propugnando D. Marci ad Aquilejenses, ac D. Barnabæ ad Mediolanenses Apostolatu, sibi jure meritoque conciliant. Ac sane si rite expendantur, quæ ab Viris eruditissimis de ejuscemodi Apostolatu litteris consignata sunt, haud difficile quoque possunt D. Cassiani Præsulatui accomodari. Neque hoc est una manu destruere, quod altera improbo plane labore ædificavimus; sed suum potius unicuique dare, variis probatissimorum Scriptorum sententiis suam probabilitatem adserere, ac quæ probabilia, quæ probabiliora, quæve certo falsa, prorsusque expungenda, indicare. Præterea Catalogus ille Anonymi silet cum de *Arbeone*, tum de *Landfrido*, Episcopis Sabionensibus, ex re Diplomatica certis, quorum primus vivebat ann. 828. alter 830. Ac eodem silentio præterit quoque *Anthoninum*, qui in Catalogis ponitur ante Mastulonem & Joannem; cum tamen eum fuisse verum Episcopum Sabionensem testetur Liber antiquissimus pergamenus, de quo Guarinonius, Engl, Reschius &c. Anonymus autem suum pangebat carmen post illius sæculi medium Annonis Frisingensis tempore, qui sicut anno Christi 855. regimen adgressus fuit Frisingensis Ecclesiæ, ita anno 875. ipsam gubernare desiit ad superos abiturus. De quo Mabillonianus Poeta:

Ecce pius sedens præsens nunc Anno gubernat.

Item juxta eundem Catalogum a *S. Ruperto*, quem juxta verisimiliorem Chronologiam obiisse constat anno Christi 718, ad S. *Virgilium*, qui ann. 745. sedem Salisburgensem indeptus est, tres statuuntur medii, nempe *Vitalis*, *Flobargisus*, & *Joannes*, duo vero duntaxat collocantur inter *Ingenuinum*, qui circa finem sexti sæculi;


fæculi, & *Alimum*, qui circa finem octavi Sabionensi præfuit Ecclesiæ, nimirum *Maslulo* & *Joannes*. Difficile autem creditu est, tanto temporis intervallo, quod Ingenuinum inter & Alimum excurrit, duos duntaxat extitisse Episcopos Sabionenses, cum secus inter modicum temporis spatium, quod inter Rupertum & Virgilium præteriit, tres præfuerint Episcopi Salisburgenses. Si autem Anonymus Mabillonianus minus exactus deprehendatur in enumerandis Episcopis sibi proximioribus; quid censendum de enumeratione remotiorum ab ipso inita, cæteri judicent. Quæ dixerim, non ut penitus auctoritatem adimam Anonymo Mabilloniano, cujus testimonium, ut satis ad fidem faciendam idoneum, ego ipse, clarissimorum virorum exemplum sequutus, sæpius adhibui, atque a Roschmanni responsis latius supra vindicavi; sed ne prorsus decretorium ac irrefragabile videatur, neve ejus obtentu præsulatus S. Cassiani ad inanes fabulas, commenta, nugas, quisquilias, ab intemperatiori Critica rejiciatur. Quamvis enim præsulatum hunc ingenue fatear mihi minus probari, haud tamen ita meam amo opinionem, atque huic ita mordicus adhæreo, ut secus opinantes ceu fabulatores somniatoresque somniorum traducere audeam. Equidem illud vehementer optarem, majorem animi moderationem atque modestiam in utriusque partis fautoribus servari; in adfirmantibus quidem S. Cassiani præsulatum, ita ut illum negantes nequaquam suggillarent tanquam temeritatis reos ac emotæ mentis homines; tum etiam in negantibus, ita ut eundem adfirmantes nequaqam exsibilarent, ut miseros popularis opinionis asseclas, ac chimærarum vanissimos architectos. Parcius ista, ac illæsa caritate ex una, servatoque erga Divos debito honore ac cultu ex altera parte, unicuique in re adiaphora liceat in suo sensu abundare. Cumque quod hujusmodi præsulatum spectat, in re versemur haud satis explorata, sinamus Ecclesiam Brixinensem eo titulo, quo hactenus pacifice gavisa est, vel deinceps potiri. Ad Ingenuini autem sanctitatem quod adtinet, cum ei faveat longe antiquior traditio, quam D. Cassiani præsulatui, illi omnino insistendum existimamus. Recte hoc, inquis; sed hic Rhodus, hic saltus, ut sincera probetur. Satis tamen ad id suadendum me hactenus dixisse puto.

CX. Hæc sunt, Vir undequaque Illustrissime, quæ de Œnipontani Scriptoris conjecturis habui dicenda. Multo plura adjecissem, ni aliæ curæ plurimæ meum aliunde distinuissent animum. Prolixior quidem, quam ab initio sperabam, evasit Dissertatio, longio-

longiorem tamen, quam par fuerit, tibi haud videndam confido, si animum adverteris tuum ad ea Plinii Junioris verba Lib. 5. Epist. 6. „ Ego officium Scriptoris esse existimo, titulum „ suum legat, atque identidem interroget se, quid cœperit scri- „ bere; sciatque si materiæ immoratur, non esse longum: lon- „ gissimum si aliud accersit, atque attrahit. Vides, quot Versibus „ Homerus, quot Virgilius arma hic Æneæ, Achillis ille descri- „ bat, brevis tamen uterque est, quia facit quod instituit „. Reliquum est, laborem qualemcunque meum æqui bonique consulas, ac erratis meis, si quæ ex præfestino calamo exciderint, veniam indulgeas. Neque enim ita me amo ac palmo, ut ignorem haud pauca de iis, quæ hactenus scripsi, nasutis censoribus minime probatum iri, ac etiam me posse in hac ipsa scriptiuncula multo plura peccare, quam quæ in conjecturali Opere castiganda suscepi. Clam me non est, quod antiquitatis scrutatoribus accidere sæpe solet, ut plura in tenebris consepulta relinquant, quæve proferunt non pauca, aut minus recte declarent, aut minus vere disceptent. Feliciorem mihi obtigisse sortem, nec nimium fidens, nec parum prudens dixerim. Spero tamen quæ dixi hactenus, sin minus decretoria, saltem non omnino inepta fore ad Martyrologii Romani Vindicias, sive Nonis Februarii inferentis D. Ingenuini nomen, sive Idibus Augusti D. Cassiani primi Sabionensis Episcopi additamentum prætermittentis. Illa quoque ea est spes fore, ut hæc ipsa Ecclesiæ Sabionensi nunc Brixinensi minime ingrata, multoque minus injuria, censeantur, nedum quod Ingenuini sanctitatem pro mea virili parte propugnaverim, verum etiam quod titulum S. Cassiani primi Sabionensis Antistitis ac Apostoli nequaquam ipsi adimendum crediderim, tametsi in Martyrologio Romano, quod majore in tribuendis ejuscemodi titulis certitudine nititur, jure optimo missum probaverim. Quin imo scriptiunculam meam Roschmanno ipsi haud displicituram confido, cum eum illa animi moderatione refutaverim, ut nec verborum acrimonia, neque plautinis salibus; ut in ejuscemodi criticis controversiis fieri sæpe amat, secum egerim, neque a justis ejusdem laudibus temperaverim, atque ita me continuerim, ut neutiquam videri possim in eum velut de plaustro loquutus. Verbo, nihil pugnaci animo propugnandum suscepi, nihil ex adverso adferri solitum dissimulavi, quæ mihi verisimiliora visa sunt modeste proposui, suisque momentis munivi, certa ab incertis congruo criterio discrevi, atque ita veritati litandum duxi, ut meliora edoctus semper para-

tus ſim mutare ſententiam. „ Studioſe cavebamus (verbis utor „ Sancti magnique Dionyſii Alexandrini Lib. 2. de Promiſſionibus apud Euſebium Lib. 7. Hiſtor. cap. 24.) ne ea, quæ nobis ſemel placuiſſent, tametſi falſa eſſe deprehenderentur, „ pertinaciter defenderemus. Nec aliorum objectiones ſubterfugiebamus: ſed quo ad fieri poterat, ad ea, de quibus inſtituta erat diſputatio, eniti, eaque ſtabilire conabamur: ſin autem „ rationibus convicti eſſemus, non pudebat nos mutare ſententiam, & aliis aſſentiri: quin potius cum bona animi conſcientia, „ abſque ulla ſimulatione, expanſis ad Deum cordibus, quæcumque certiſſimis argumentis confirmata eſſent, ſuſcipiebamus „. Quare illis verſiculis Horatii Lib. 1. Epiſt. 6. lucubratiunculæ huic colophonem impono:

Vive, vale: ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.



FASTI



FASTI BRIXINENSES

DE SS. CASSIANO INGENUINO, ET ALBUINO

Censoriis notis castigati.

I. NE temere videar ad emendandos Brixinenses Fastos cum adpulisse animum, tum manum quoque admovisse, consultissimum duco ea in antecessum præfari, quæ magis idonea visa fuerint ad omnem a me amoliendam invidiam: Certe si palam fecero, virum nedum nihil hac super re suspectum, verum etiam de Antiquitatibus Sabionensibus optime meritum, una mecum sentire, nemo id mihi vitio jure vertere poterit. Prætermissis ergo testimoniis præclarissimorum Scriptorum Bollandi, Pagii, Gevvoldi &c. Fastos Brixinenses improbantium, audiamus quid censeat Roschmannus in Opere suo Conjecturali de Actis SS. Cassiani & Ingenuini, quamlibet *a Sacra Rituum Congregatione recognita, ac cum Illustrissimorum Reverendissimorumque S. R. E. Cardinalium, Ptolomæi Comensis, & Cæsaris Baronii subscriptionibus approbata ex commissione fel. rec. Clem. VIII. Pont. Opt. Max.* palam circumferantur. De Ingenuini Actis ingenue profitetur pag. 67. „ Si Acta Ingenuini rite consideremus..... Acta hic certa
„ pro cynosura statui debent, quæ sunt, S. Ingenuini intercessio pro captivis Longobardorum Evini Ducis Tridentini subditis in Castro Ferruge, præsentia in Pseudo-Synodo in Insula Mariano, subscriptio Libelli Schismaticorum ad Mauritium
„ Imperatorem: quæ omnia secundum Chronologiam Baronii,
„ Pagii, Blanchinii, ac Rubei annis 589. 590. & 591. contigere. S.

„ Ingenuinum dein veritati manus dedisse putat Cl. Bollandus, „ quando Theodolinda studio S. Gregorii ad Catholicam com„ munionem fuit revocata: aut forte malis quæ dein passus est „ in exilio, in quod non ab Authari (ut vult Proprium, quod „ refutat Bollandus, utpote cum Concilium & subscriptio Li„ belli post Autharis mortem primum facta fuerit) sed a Rothari „ anno 638. uti Baronius censet, vel forte ab Ariovaldo Ariano, „ ut Pagius credit, post annum 624. fuerit pulsus &c. Tum de „ Actis S. Cassiani similiter loquitur in hæc verba pag. 111. Re„ centiora pauca placent, nec Proprio, ut vocant, Brixinensi „ excepto: non consuluit, quisquis vir pius huic manum ad„ movit, antiquam Geographiam, Chronologiam, aut Criticam „ Sacram, imo nec illa Propria, quæ manu exarata invenire po„ tuisset, sine quibus nihil sanum unquam prodibit. Nec inju„ riam his dictis Proprio Brixinensi quis inferat. Non solum „ est, quod corrigi potest, nam hoc præstantissimis contigit; „ narrat enim Saxius in præclaro Opere suo de Possessione Me„ diolanensi SS. Corporum Protasii & Gervasii: Breviarium Me„ diolanense per Galesinium reformatum in posito SS. MM. his „ a D. Carolo Borromæo elogio fuisse correctum, quod tale est: „ *Eorum martyrii memoria, quod Nerone Imperatore subierunt, ubi„ que terrarum in omni Ecclesia celebris fuit*. Nam addit Saxius: „ *omissa enim in præsens sunt in nostris Breviariis hæc de Neronis tem„ pore verba*: Omitti igitur etiam præter alia possunt pariter illa „ in nostris Breviariis de Juliani tempore verba „. Igitur si domestico Scriptori ita fas fuerit in Acta suæ Diœcesis censuram distringere, quid ni id liceat extraneo? Non quidem ut inclytæ Ecclesiæ Brixinensi confletur invidia, sed ut repudiatis ejuscemodi Actis a capite ad calcem aniles fabellas redolentibus, germana ac sincera ab iis, quorum interest, deinceps substituantur. Quod faxit Deus. *Solent enim* (magnus inquit Augustinus de Civit. Dei Lib. 7. cap. 35.) *res gestæ aspersione mendaciorum in fabulas verti*. Ita quoque paulatim fiet, ut obstruatur os Hæreticorum in Germania nostra adversus sanctorum Acta loquentium iniqua.

II. Præterea illud etiam serio cavendum, de quo rursus admonendum Lectorem censui, ex Actis falsis ac fabulosis, quæ potissimum de S. Ingennino circumferuntur, uti etiam, præter Fastos Brixinenses mox severiori censuræ subjiciendos, sunt quoque *Legendæ* de eodem sancto Sabionensi Antistite, quæ extant apud Bartholomæum Tridentinum, Petrum Calo, Petrum de Natalibus &c. perperam deduci falsam ac fabulosam ejusdem sancita-

ctitatem. Namque hæc aliunde certius constat ex perpetuo ejusdem cultu eidem exhibito nedum in Ecclesia Brixinensi, sed & in Sabionensi; neque enim religiose a Sabiona Brixinam translatæ fuissent ejusdem reliquiæ, ni cultui piorum Fidelium semper patuissent. Atque in Dissertatione una cum Bellarmino ac Baronio adnotavimus, plures esse vere Sanctos, quorum Acta omnino corrupta ac vitiata leguntur. Quin imo ex Actis ipsis falsis, quæ de S. Ingenuino habentur, ejus vera Sanctitas evincitur hoc pacto. Quippe percontari lubet; cur Bartholomæus, Calo, de Natalibus &c. præfatas *Legendas* omnino mendosas consarcinaverint? Num propter Ingenuini caritatem in redimendis captivis? Sed hac prerogativa multo magis enituit Agnellus Tridentinus, qui tamen nullum nactus est in Ecclesia Dei cultum, nullam peculiarem *Legendam* obtinuit, sed de eo unice mentio fit obiter in D. Ingenuini *Legenda*. Num quia se primo loco subscripsit Schismaticorum Libello ad Mauritium Imperatorem? Sed hac de caussa multo magis texenda fuisset *Legenda*, ac peculiaris cultus tribuendus Severo Aquilejensi Metropolitæ, qui omnium Schismaticorum, adeoque ipsius Ingenuini caput erat, ac præcipuus incentor. Num quia Marianam Synodum sua præsentia condecoravit? Sed præterquam quod id ipsum vitio vertendum sit maximo, alii plures præter Ingenuinum illi interfuere, qui nullo hactenus religioso cultu honestati sunt. Num quia apud Paulum Diaconum Ingenuinus, ut ut Schismaticus, bene audit? Sed alii quoque apud ipsum eadem lue laborantes laudantur, nullo hactenus in Christi Ecclesia religioso cultu præditi. Num quia apud Paulum præ cæteris *Clarissimus* nuncupatur? Sed corruptam tantum lectionem illud præ se ferre, veram autem habere *Clarissimus de Concordia*, jam pridem Viri docti adnotarunt. Cur ergo solus Ingenuinus præ cæteris omnibus in Dei Ecclesia honoratus, de eo extant plures *Legendæ*, multa Martyrologia loquuntur &c. quantum capio, quantum sapio, cur hoc, nisi quia ex vetustissimo cultu, cujus nescitur initium, ejusdem sanctitas certius explorata est? Adeo ex Actis ipsis falsis vera sanctitas comprobatur. Ac sane nulla fuisset caussa consuendi Acta falsa & fabulosa, ni aliunde de vera sanctitate satis superque constitisset. Ita fabulæ ipsæ aliqua, cui superstruuntur, veritate niti consuevere, ne temere prorsus excogitatæ videantur.

III. Cæterum ad commonstrandam D. Ingenuini sanctitatem confluunt ea omnia, quæ in Decreto S. Officii Inquisitionis edito A. D. 1625. deposcuntur, nempe *communis Ecclesiæ consensus*,

ſus, immemorabilis temporis curſus, Virorum Sanctorum ſcripta, nec non longiſſimi temporis ſcientia, & tolerantia Sedis Apoſtolicæ, & Ordinariorum. Ad quam etiam amplius adſtruendam conſpirant aliorum Scriptorum fide dignorum monumenta, Eccleſiæ in ejus honorem ædificatæ, Communicatio Reliquiarum aliis Diœceſibus facta, Martyrologia numero plura, maxime Romanum, etiam noviſſime auctum & emendatum, quod majorem cæteris meretur fidem, Miſſa & Officium in ejus honorem indultum &c. Quod ſi ut habet Jacobus Pignatellus Tom. IV. Conſult. LXXXVII. num. I. ac ſeqq., Dei & Sanctorum honor judicium diligat, atque Eccleſiæ mos antiquiſſimus fuerit ſedulo præcavere, ne ulli eorum, qui cum laurea martyrii, vel cum Sanctitatis opinione, obierunt, publicus tribueretur cultus, ni fuiſſent vindicati, ſive, ut hodie loquimur, ſolemni ritu canonizati; id quod bifariam fieri Doctores monent, ſive recentiori ritu, nempe cum plena & adcurata cauſſæ cognitione, ſive diſciplina antiquiori, nimirum communi fidelium conſenſu & acclamatione: hinc communem hunc fidelium conſenſum acclamationemque D. Ingenuini ſanctitati etiam atque etiam ſuffragari minime eſt ambigendum. Quanti autem facienda ſit in Martyrologio Romano, aliiſque, deſcriptio, immemorabilis cultus, recitatio Officii & Miſſæ ex indulto Apoſtolico, publica expoſitio Reliquiarum, earumque in publicis ſupplicationibus delatio, publica ſolemnitas diei anniverſariæ, altarium & Eccleſiarum erectio, nuncupatio Sancti non popularis tantum, ſed ab ipſo Summo Pontifice admiſſa &c. quodve hæc omnia tacitæ Canonizationi æquipolleant; videri poteſt idem Pignatellus cit. Tom. IV. Conſult. LXIII. num. 15. ac ſeq.

IV. Poſtremo illud animadverto, mihi quidem videri, haud ſibi ſatis conſtare eos, qui primævam cultus D. Ingenuino exhibiti originem ita ab errore Pauli Diaconi repetunt, ut tamen initia ducant ejuſdem cultus ab anno 1020. quum nimirum Diploma Henricus Sanctus Bambergæ *Herbardo Brixinenſi Epiſcopo & Eccleſiæ in honorem SS. Martyrum Caſſiani & Ingenuini dedicatæ contulit.* Quaſi vero anno 1020. Paulus Diaconus ſcripſerit, aut eo duntaxat ævo potuerit fucum legentibus facere. Nunquid Paulus ipſi Alexandro IV. P. M., qui anno 1257. *Eccleſiæ Brixin. S. Ingenuini* (ut verba Diplomatis præferunt) *vocabulo inſignitæ 100. dierum indulgentias* elargitus legitur, turpiter adeo impoſuerit? Quod ſi Eccleſia Brixinenſis ab Henrico Sancto dicitur in honorem SS. Martyris Caſſiani & Ingenuini dedicata, quod ipſum

ipſum in ſequentibus Diplomatibus Conradi II. & Henrici IV. legere eſt; quis non videat jam diu ante Ingenuini tanquam Sanđi, ac Eccleſiæ Brixinenſis, vel ab ipſo ſui exordio, præcipui Patroni cultum obtinuiſſe, cum in Diplomate Ottonis II. Rom. Regis an. 967. jam *Richpertus* non amplius Sabionenſis, ſed Brixinenſis Eccleſiæ Epiſcopus audiat? Hinc ſub eodem Richperto facta memoratur in authentico Inſtrumento inſignis quædam donatio in honorem S. Stephani & B. Ingenuini. Quod autem in Diplomatibus Ludovici Pii, Ludovici IV. ac Conradi I. haud vocitetur *Sabionenſis Eccleſia conſtituta, dedicata, ac conſtructa in honorem* S. Ingenuini, ſed duntaxat *S. Caſſiani Martyris;* mirum haud eſt, cum S. Ingenuinus, qui juxta Anonymum Mabillonianum eam *primo rexerat Almus*, minime ipſam potuerit proprio nomini conſecrare, ſive *in ſui honorem conſtituere, dedicare, atque conſtruere*, ſed bene Brixinenſis, ad quam Sabionenſis poſtea tranſmigravit, cedere in honorem ejus, atque ab ipſo patrocinium mutuari potuerit. Porro ejuſdem Mabilloniani Anonymi ævo Sanctum fuiſſe habitum Ingenuinum, ſatis indicat illud Epitheton *almus*, quod idem ac *Sanctus*, vel in ſenſu ipſius Anonymi, reddere ac ſignificare, alibi diximus. Dein illud etiam obſervo, D. Ingenuinum mox ab Eccleſiæ Brixinenſis exordio neutiquam potuiſſe in præcipuum Patronum, æque ac S. Caſſianum, aſſumi abſque prævia jam diu inolita opinione de ejuſdem D. Ingenuini ſanctitate, atque ab errore ſchiſmatico ante obitum reſipiſcentia. Quam etiam reſipiſcentiam ac ſanctitatem teſtatam inſuper faciunt ea multa miracula, de quibus in Divino Sacrificio diei SS. Ingenuino ac Albuino ſacra *Sequentia*, ut vocant, olim ſic reſonabant apud Reſchium pag. 39:

In ſanandis & ſanatis
Debilibus, ſanctitatis
Merita declarantur;
Nam morboſi mente pura
Supplicantes his pro cura
Mirifice ſanantur &c.

His præmiſſis Brixinenſes Faſtos ad criſim nulla mora exigamus.

NO-

NONIS FEBRUARII.

INgenuinus primus post Sanctum Cassianum *(a)* temporibus Gregorii Magni, & Ruperti primi Salisburgensis Episcopi, circa annum Domini quingentesimum nonagesimum Sabionensem rexit Ecclesiam. Nam cum Sabiona, expulso S. Cassiano, a Gentilibus depopulata, postea vero per Hunnorum incursiones sub Attila Rege funditus excisa, ac deinceps plusquam ducentis annis sine Rectore & Episcopo fuisset; Ingenuinus Urbem & Ecclesiam Sabionensem, Theodonis tertii *(b)* Bavariæ Ducis beneficentia

(*a*) Falsum hoc esse evincitur in ipsa sententia eorum Scriptorum, quibus Sabionensis S. Cassiani Episcopatus probatur, cum Ingenuinum & Collegas in Epistola ad Mauritium Imperatorem gloriatos fuisse autument sibi omnibus & singulis præluxisse veri nominis Decessores. Et vero quis credat (ajunt) si ducentis trecentisque annis semper vacasset Sedes Sabionensis, tunc potissimum, cum & eversa Civitas esset, & late Barbari in iis Regionibus dominarentur, tanto demum ex intervallo creatum illic Episcopum? Nimis etiam inquiunt, hiulca esset Brixinensium sive potius Sabionensium Præsulum successio, si Cassianum inter & Ingenuinum, longo intervallo ab se distantes, nulli interessent. Inter Ingenuini Decessores præter S. Cassianum enumerant S. Lucanum, ita Bollandus: ac Maturninum &c. Ita Roschmanous & alii. Lubeat Gevvoldum audire in Not. ad Hund. fol. mihi 309.,,In hac narratione primum illud observandum; S. Ingenuinum non videri primum post S. Cassianum Sabionæ Episcopum, sed ut supra ostensum est, S. Lucanum inter Cassianum & Ingenuinum medium intercessisse.,,Indeque Petrum de Natalibus, Hundium, & Ferrarium, ipsosque Fastos sacros Brixinensium castigandos &c.

(*b*) Ecclesiam Sabionensem, a Barbaris dirutam, Theodonis III. Ducis Bojorum primi munificentia fuisse ab Ingenuino instauratam, mordicus inficiantur quotquot censent Sabionam, posteaquam ab Hunnis & Attila eversa est, nunquam restauratam; ast ei Clusium Oppidum ad pedem montis Sabionæ affixum successisse. Abludit insuper ab omni veri specie, restauratam & Urbem & Ecclesiam, adsensu & ope prælaudati Theodonis ad fidem Christi per Rupertum conversi, factumque Ingenuinum Episcopum ac Pastorem Sabionensis Ecclesiæ secundum ab Helia Patriarcha Aquilejensi consecratum. Quandoquidem jam pridem decesserat Helias, cum Theodonis III. conversio accidit; si recte Velserus, Brunnerus, aliique Viri doctissimi Chronologiam rerum Boicarum ordinarunt, de qua Cl. Bollandistæ cum in Actis Sanctorum V. Februarii de S. Ingenuino, tum XXVII. Martii de S. Roperto. Equidem si S. Rupertus ædes sacras in memoriam S. Maximiliani Laureacensis Episcopi consecravit sæculo octavo ineunte, aut septimo exeunte juxta Roschmannom pag. 102, quei fiat, ut ejus ævo Ingenuinus Sabionensem rexerit Ecclesiam nempe circa annum quingentesimum nonagesimum? Me quidem haud fugit Aventini & aliorum opinio S. Rupertum circa annum 540. in Bojaria ponens; ast neque me latet adversa sententia Mabillonii statuens S. Rupertum ad annum Christi 700. & ultra. Etenim eruditissimi ac doctissimi Monachi Ord. S. Benedicti celeberrimæ S. Mauri Congregationis, quorum, defuncto P. Luca Ache-

centia restauravit. Factusque ibidem secundus Episcopus & pastor,

Acherl, antessignanus successit P. Mabillonius, nusquam satis laudando labore, ad instar Bollandi, ita Acta Sanctorom Benedictinæ Familiæ per sæcula distribuere, atque ita ad sæculum usque V. Christi decimum produxere, ut in hujus magni Operis sæc. III. p. 1. Vita Sancti Ruperti proferatur ad annum Domini 718, adjecto elogio historico, in qoo de illius Divi ætate Auctor perquam erudite de more disceptat, atque validis ex argumentis concludit, locum alium adventui D. Ruperti in Bojariam haud esse, quam ad annum 696. sub Sceptro Childeberti III. Regis Francorum, cujus annus secundus eum eodem 696. conveoit. Idque deducit ex Paulo Diacono, Arrolpho ex Comite Monacho Cenobii S. Emmeranimi Ratisponæ, Arnone primo Archi-Præsule Salisburgensi, ac Vita S. Virgilii. Profecto ex una D. Virgilii Vita palam est, S. Rupertoni non in septimo, sed in octavo Christi sæculo collocandum, quum pro testibus a S. Virgilio examinatis producantur Discipuli S. Ruperti, quorum vita ultra 140. annos protracta fuisset, si S. Rupertus anno 623. ad superos transiisset. Quod vero Mezgerus hujus fautor opinionis contra Mabilloniom seponat in Differt. de Antiquit. Eccl. Salisburg. §. II. pag. mihi 10. *Non esse incredibile, quod eo tempore unus vel alter ex Discipulis S. Ruperti viris religiosis, tamdiu vixerit, cum nostra quoque ætate reperti sint homines, qui 120. vel 130. annos superarint*, id an credibile nec ne, emunctioris naris Criticis judicandum relinquo. Vid. Mabill. in Not. Vit. S. Virg. ad ann. 780. Certe S. Virgilium (qui anno Christi 745. Sedem Salisburgensem indeptus est) adhuc vidisse, & allocutum fuisse quosdam S. Ruperti Discipulos, perspicuum fit ex Instrumento quoque domestico & coævo, quod Henricus Canisius Tom. 6. pag. 1155. suppeditat, ubi hæc legere est. „ Hæc omnia Virgilius Epi„ scopus ac Viris valde Senibus atque „ veracibus perquirere studuit, poste„ risque ad memoriam scripta dimisit. „ Quidam vero ex eis, qoi ista dixe„ runt, Discipuli S. Ruperti fuerunt. Quod etiam nonnulli a præfata restauratione Sabionensis Ecclesiæ a Theodone facta caussam repetant, cur Sabionenses Antistites defluxerint a Metropolitis Aquilejensibus, atqoe ad Archiepiscopos Bajoariorom accesserint, res est, quæ quam facile dicitur, tam difficile probatur. Saoe Mezgerus in Annot. ad Hist. Salisb. Lib. III. cap. IV. a pag. 234. ubi expendit Bullam Leonis III., qua Arno Salisburgensis, aunuente Carolo Magno, ac suffraganiibus ipsis Bajoariæ Episcopis, Archiepiscopus eorum est constitutos, id qoidem *non sine gravi causa* factum aotumat, aliam tamen non adducit caossam, quam *merita magni Ruperti, ejusque successorum, Salisburgensium Præsulum, in Ecclesiam, in fide ac religione excultam, longe præponderantia*. Cæterum Mabillonii sententiam circa Chronologiam mortis S. Ruperti ann. 718. longe prævalere opinioni Mezgeri eam reponentis ann. 623. ex eo patescit, quia Antonius Pagius, qui post utrumque illum clarissimum virum scripsit, io celebri sua Critica ad annum Christi 590. num. XII. constanter Mabillonio adhæsit, mentemque suam deinceps ad annum Christi 718. num. VII. ulterios aperuit. Eandem Mabillonii ac Pagii opinionem contra Mezgerum quoque defendit Meichelbeckius Differt. secun. de Relig. Christ. in Bojar. Super., ubi etiam hallucinationes Mezgeri detegit, ac inscriptionem lapidis marmorei præferentis obitum S. Ruperti *anno ab Incarnatione Domini DCXXIII.*, cujus antiquitatem jactitat Mezgerus, novitia manu factam ostendit, ac præterea demonstrat falsam ejusdem Mezgeri Chronologiam ex Aribone Frisingensi Episcopo, ordine quarto, sæculi octavi Scriptore, qui, ubi alterum D. Corbiniani Romanum iter (quod in annum Christi

 723.

ftor, ab Helia Patriarcha Aquilejenfi, tunc temporis Metropolitano confecratus. (*a*)

Graffa-

721. incidiffe probatur) defcribit, Cap. IX. memorat, Corbinianum veniffe in Noricum, nempe Bojariam, cui Theodo Dux cum tribus Filiis præerat. *Quæ gens* (inquit Aribo) *adhuc rudis erat, & nuper ad Chriftianitatem converfa*. Et Cap. proximo de Norico fubdit: *carique ibi habebantur Sacerdotes, ficut Novitiorum mos effe compellit*. Quæ verba, expendens idem Meichelbeckius ibidem pag. mihi XII. ait: „ Quæ fi „ vera funt, Rupertus, qui quadra- „ ginta annorum fpatio in convertenda „ Norico, feu Bojaria, defudaffe dici- „ tor, non potuit deceffiffe ipfa cen- „ tum ante Corbiniani adventum an- „ nis: alias enim Aribo tempore ad- „ ventus S. Corbiniani non diceret No- „ ricum *gentem adhuc rudem & nuper* „ *ad Chriftianitatem converfam* atque „ *novitiam*, quippe quæ jam ante plu- „ res quam centum annos fcita Evan- „ gelii ex Ruperto, ejufque focia di- „ diciffet. Itaque vero longe fimilius „ eft, Rupertum primum deceffiffe an- „ no 718, quam anno 623, quod idem „ egregie fuadent plura alia argumenta, „ ab eruditiffimis Mabillonio & Pagio „ expenfa &c. „ Hæc Meichelbeckius cit. Differt. quæ præfixa eft Tom. I. Hift. Frifing. Videator quoque ejufdem Differt. prima Prolegom. de Antiquit. Ecclefiæ Salisburgenfis &c. præfixa Tom. II. Hift. ejufd. Frifing. ubi idipfum magis magifque roborat, ac cenfet, Inftrumentum S. Virgilii, Indiculum Arnonis, Aribonis atque Arnolphi adfertiones antiquiffimas, optime confonare, & ætatem Sanctorum Ruperti & Corbiniani neutiquam centum annis diftingui, fed potius evinci, eos ad initium fæculi octavi fimul inter vivos fuiffe. Illud quidem mirum, Meichelbeckium, qui juxta Anonymum Mabillonianum corrigendum putavit Catalogum Epifcoporum Salisburgenfium, minime exiftimavit juxta eundem emendandum ab Hundio digeftum Catalogum Epifcoporum Sabionenfium, in quo non *primus*, fed *fecundus Epifcopus Sabionenfis*, D. Ingenuinus vocatur: nifi primum juxta Anonymi Mabilloniani Elenchum acceperit eo fenfu, de quo nos fupra in Differt. fimillima iis, quæ ex Meichelbeckio exfcripfimus, videre licet Tom. I. pag. 505. Scriptor. Rer. Italic. ad cap. 44. Pauli Diaconi de Geftis Longobard. Nota 180. ex Anaftafio & Calvifio. Videri etiam poteft Freherus in Rer. Germanic. Scriptoribus pag. 91. Tom. I. Edit. Struv.

(*a*) Hic loci imperite confundi Metropolitani titulum cum titulo Patriarchæ, qui diu poft Schifma in Aquilejenfi Ecclefia inolevit, norunt Eruditi. Haud etiam cedit in laudem Ingenuini fuiffe ab Schifmatico Metropolita inauguratum Epifcopum. Quamvis enim de Helia Aquilejenfi Metropolita in Ecclefia S.Euphemiæ ab eo in Infula Grado conftructa, in medio pavimenti teffelato opere elaborati, vel hodie vifere ac legere fit hanc Epigraphen:

Atria, quæ cernis, vario formata decore,
Squallida fub picto celatur marmore tellus,
Longa vetuftatis fenio fufcaverat ætas.
Prifca en ceffetunt magno novitatis honori,
Præfulis Heliæ ftudio præftante Beati.
Hæc funt tecta pio femper devota timori.

Monet tamen Rubeus, ipfius Heliæ ætate fculptam fuiffe Epigraphen minime eredendum, atque ad fequiora potius inftauratæ Ecclefiæ inftaurationique pavimenti tempora pertinere. Vid. Monom. Eccl. Aquil. cap. XXVI. fub num. II. Adde ex iifdem Rubei Monum. cap. XXIX. num. I. quod, cum gefti ab Helia Sacerdotii anni quindecim numerentur a Paulo Diacono Lib. III. cap. XXVI., adeo ut anno æræ vulgatis 571. incepti,

Grassabatur autem adhuc infelix illud contra Quintam Synodum Constantinopolitanam, tria Justiniani Imperatoris Capitula damnantem (a) schisma. Quod cum universam prope Catholicam Ecclesiam pluribus annis misere dilacerasset ipsumque etiam Servum, Heliæ Aquilejensis Patriarchæ successorem, ac plures Episcopos infecisset; Ingenuinus tamen una cum paucis quibusdam orthodoxis, non modo adduci non potuit, ut consentiret, verum etiam Marianam Synodum præsentia & auctoritate sua laudabiliter condecoravit, in qua dictus Servus Patriarcha, revocato

---

pti, anno 586. desinant; fieri nullatenus possit, ut Ingenuinus, qui Sabionensem juxta Fastos Brixinenses regere cœpit Ecclesiam circa annum Domini quingentesimum nonagesimum, ordinatus fuerit ab Helia, qui jam tunc e vivis decesserat, Sabionensis Antistes.

(a) Hæc omnia oscitanter scripta, Schismaticorum fabellis scatentia, ac falso falsiora manifestissime refelluntur ex Pseudo-Synodo Mariana pro defensione Trium Capitulorum coacta, cui Ingenuinus schismaticus impense favit, præcipuum in eadem locum tenens. Hinc Fastos Brixinenses corrigendos nullus dubitat Bollandus V. Febr. de S. Ingenuino §. II. ubi etiam scire animadvertit, Tria Capitula Justiniani haud secte dici damnata a quinta OEcumenica Synodo, sed potius Trium Capitulorum per Justinianum, nimium sibi juris in res Ecclesiasticas arrogantem, anticipatam damnationem a Synodo fuisse postremo calculo comprobatam ac roboratam. Observandum præterea, eum qui in Aquilejensi Sede Heliam proxime excepit, non fuisse Servum, sed Severum, atque hunc in Mariana Synodo adeo abfuisse a centro Catholicæ Ecclesiæ, ut cum pridem Ravennam a Smaragdo ductus tria damnasset Capitula, postea in ea Synodo ad schisma animo prorsus refractario ac obfirmato redierit. Vid. Rub. de Schismate Aquilejensi cap. XXXIII. ipsum anno 606. ad manes concessisse, ac pertinaci in schismate animo obiisse: ut jure proin ac merito D. Gregorius vel postremis vitæ annis illi denegarit eleemosynæ subsidium, quod Joannes Ravennas efflagitaverat, illatas memorarit argueritque injurias, quas idem Firmino Tergesti Præsuli, aliisque ad unitatem Ecclesiæ reductis, irrogare ausus fuerat, excitaveritque in eundem ad Catholicorum tuitionem, Smaragdi iterum Exarchi virtutem & iram. Cæterum cavendum, ne ita quoque ad obitum usque Ingenuinum in Schismate obduruisse credamus. Pro eo namque ac etiam Agnello Tridentino, ad Ecclesiæ unitatem revocandis Theodolindæ exemplum plurimum valuisse vel inde verisimile fit, quod Ingenuinus Episcopus esset juxta multos in Bojarica Noricorum Provincia constitutus, ac Theodolinda Longobardorum quidem Regina foret, filia tamen esset Gariovaldi Bojorum Regis, ac Agnellus in ea Civitate Episcopum ageret, cui imperabat Evinus Tridentinorum Dux uxorem habens Theodolindæ sororem. Nec mirum tantum potuisse exemplo suo Theodolindam singularis prudentiæ, raræque in Christum pietatis, ad muliebris sexus miraculum, fœminam, quum una ipsa Longobardorum gentis ferocissimæ animos bonis artibus inflexerit, atque armorum desuetudine mitigaverit, & ut religionem nostram reciperent, ac cum Romanis Imperatoribus fœdus inirent, pacemque depositis armis servarent, sua virtute persuaserit, cujus proin laudem nullus æquabit calamus, nulla exhauriet historia. Vidend. Aventin. Annal. Bojor. Lib. III. cap. IV. a num. 8.

cato errore (*a*) receptus fuit in gremium Catholicæ Ecclesiæ; Magnis vero pro honore Dei perfunctus laboribus Ingenuinus sub Authari (*b*) Flavio Longobardorum Rege, Italiam devastante in

(*a*) Prælaudatus Gevvoldos cit. fol. mihi 309. „ Gravior sequitur error & „ eettus, cum affirmator Joannem Ra„ vennatem Aotistitem Schismate de „ ttibus Capitulis infectum, & Schis„ matis antesignanum fuisse, quæ gra„ vis est injuria optimo & catbolico, „ Pontifici Ravennatium illata. Nee „ enim is unquam fuit Schismate Infe„ ctus, sed vel maxime contra Schis„ maticos decertavit. Quod ex S. Gre„ gorii Epistola ad eundem missa cla„ rios elucescit, qua laudat Joannem & „ gratias eidem agit, quod Istriæ Epi„ scopos per Exarchom ad Catbolicæ „ Ecclesiæ senteotiam sequendam com„ pulerit &c. „

(*b*) Nemo nescit, qui Schismatis Aquilejensis Historiam primoribus labiis delibarit, Pseudo-Synodum Marianam fuisse celebratam ad novas eoncinnandas technas pro eludendo mandato Magni Gregorii, qui Severum Aquilejensem Episcopum Romam ad Synodum mense Novembri Ind. 9. an. Chr. 590. suis Maurititqoe Imperatoris Litteris evocavit; uti perspieuum est ex Lib. 1. Epist. 16. ad ipsum Severum. Quei ergo fieri potuit, ut cum post tempus ea in Epistola notatum illa Synodus, cui Ingenuinus ioterfuit, fuerit congregata nempe ann. 591, ac post banc verisimile sit ab Schismate ipsum resipuisse, nec noo sequutis temporibus in exilium Christi caussa fuisse deportatom, atque ibidem in Eeclesiæ unitate miraculis clarum e vivis excessisse, hæc omnia sub Authari Longobardorum Rege contigerint? Siquidem exploratissimum est ex S. Gregorio L. 1. Epist. 17. dat. Mens. Novemb. Ind. 9. Autharis mortem anno Christi 590. accidisse. Adeoque quis sani sincipitis sibi persuadere valeat post Marianam Synodum coactam anoo 591. exulare D. Ingenoinom fuisse eoactum sub Authari jam mortuo ann. 590, sub eodemque in exilio ipso mortalitatem explevisse? Nonne hæc patentissime secum pugnant? Non ita pugnantia scripsere de Ingenuini Vita ac morte Bartholomæus Tridentinus, Petrus Calo, ac Petrus de Natalibus, ut qui ipsum Ecclesiam quidem Sablonensem rexisse narrant tempore, quo *Longobardi Italiam occuparunt, regnante eorum Rege Austerich*, ejus tamen exilium & mortem nequaquam sub eo Rege consignant, aut ulli Longobardorum persecutioni adscribunt. Cæterom pelli fortasse in exilium minime Ingenuinus potuit ab ullo Longobardorum Rege, neque ab Authari juxta Fastos Brixinenses, neque ab Agilulfo juxta Reschium, neque a Rothari juxta Baronium, neque ab Ariovaldo juxta Pagium, quum satis nequaquam coostet Sabionam ad Longobardorum ditionem tunc temporis pertinuisse, atque, ut habet juris parœmia, *extra Territorium jubenti non pareatur impune*. Certe in Vita S. Corbiniani primi Episcopi Frisingensis ab Aribone quarto ejusdem Sedis Episcopo conscripta, atque ex vetusto Codice Benedictoburano, manu, ut videtur, sæculi XI. exarato deducta, patet quidem Longobardorom ditionem ad Majas usque, Urbem olim, nunc pagum amplissimum, Metaniæ proximum, pervenisse; namque ita lego cap. 29. ejusdem Vitæ. „ Cumqoe exitus „ Viri Dei adpropinquasset, tempore „ obitus sui non ignarus, carnalem „ fratrem suum Erimbertum in Italiam „ ad Longobardorum direxit Princi„ pem, postulans firmitatem sui pro„ prii conquestus in Magies, qood S. „ Mariæ tradidit, ne exinde auferre„ tur, & ut suum corpusculum ad se„ peliendum ibidem recipere præcepis„ set, quod illic B. Valentino com„ mendavit vivus, quia in eodem Ca„ stro dominabantur tunc in tempore „ Longobardi „. Nullibi vero legere est

in exilium pulsus est, ubi ærumnis confectus miraculis gloriosus migravit in Cælum Nonis Februarii.

Quadringentis autem post & amplius annis Othone & Henrico Sancto successive imperantibus, Albuinus Ecclesiæ Sabionensis vigesimus octavus Episcopus extitit. Hic nobili genere natus propter admirabilem vitæ integritatem a præfato sancto Imperatore & magni habitus & præclaris beneficiis est affectus. Porro cum Sedem Episcopalem a Sabiona Brixinam transtulisset, (a) omnesque optimi Pastoris partes explevisset, demum sanctitate ac

est Longobardos, uti Magiensibus, ita Sabionensibus imperasse. Hic autem obiter monendus Lector, haud rite colligi posse ex eo, quod S. Corbinianus Majas petierit pro invisendo corpore S. Valentini, non autem Sabionam pro visitando corpore S. Ingenuini; haud, inquam, rite colligi, caruisse ergo tunc Ingenuinum ecclesiastico cultu: alias ecclesiastico cultu tunc fuissent quoque destituti S. Vigilius ac tres martyres Anaunienses, quorum Reliquiæ Tridenti colebantur, cum juxta Vitam S. Corbiniani ex Aribone constet quidem, Virum Dei pluries per Tridentum peregre transiisse, tum cap. 11. ac 12. *In ipso autem itinere Romam pergendo, cum in Breones pervenit &c. Cum autem ad Tridentanum castrum Vir Dei pervenit &c.* tum cap. 16. ac 17. *Ad Tredentinos pervenit fines. Cum autem non longe a Castro venisset in prata, quæ appellabantur Rumanniana &c.* (forte prope *Romagnan*, locum infra Tridentum in ripa Athesis fluvii situm) nullibi tamen constet, ad invisenda præfatorum Tridentinorum martyrum Lipsana iter per Tridentum Romam versus instituisse. Præsertim quia profequentibus Tridento iter versus Bojariæ fines, nequaquam patebat eo tempore via illa, quæ hodie Bulsano Sabionam sive Clausam ac deinde Brixinam inter Rupes prope Isacum fluvium commodissime itur. „ Ea enim via (ut habet „ Vita S. Corbin. §. VII. apud Meichelbeckium a pag. 13.) pauculis ab„ hinc sæculis ingenio & opera cujus„ dam Civis Bulsanensis (Khuntero co„ gnomen erat) reperta, & impensis „ ingentibus Principis Terræ parata „ fuit, uti Saxo incisum legunt qui „ illic iter faciunt..... Itaque qui sæ„ culo Christi octavo ex Italia in Boja„ riæ fines venire commode volebant Tri„ dento iter versus Majas, relicto ad dex„ teram Bulsano, atque bis supra Athe„ sin fluvium, instituere debebant &c. Verisimilior forte conjectura trahi posset ad probandum S. Corbinianum minime agnovisse S. Cassianum Noricanæ Sabionensis Vallis Apostolum ac Episcopum, ex eo quod quidem S. Valentini Oratorium aut erexerit, aut ampliaverit, illudque cum ipsius S. Valentini, tum S. Zenonis Veronensis Episcopi patrociniis initiaverit, ut nihil in honorem S. Cassiani peregisse perhibeatur.

(a) Migrationem Sabionensis Sedis aliquo pacto ante Albuinum factam docet in suis conjecturis Roschmannus pag. 136. Namque ait in Diplomate Othonis II. Rom. Regis an. 967, quod in Additionibus ad Huodium Gevvoldus adtolit, jam Richpertus non amplius Sabionensis, sed Brixiensis Ecclesiæ Episcopus audit. Prædecessor autem ipsius Wisundus in Epist. Leonis VII. adhuc *Sabionensis Ecclesia Venerabilis Episcopus* apud Cl. P. Hansizium Germ. Sacr. Tom. I. fol. 192. & Tom. II. fol. 147. nuncupatur. Ut adeo, quemadmodum idem rite infert Roschmannus, potius Richperto, quam S. Albuino, hæc migratio adscribenda sit. Id

ac virtutum signis coruscans transivit ad Dominum. Corpus ejus corpori S. Ingenuini, multos post annos, Brixinam translato, hac ipsa obitus sui die celebriter appositum est. Amborum Reliquiæ in summo Altari Ecclesiæ Cathedralis religiose asservantur (*a*).

IDIBUS AUGUSTI.

CAssianus in Divinis litteris egregie versatus (*b*), ac vitæ sanctitate conspicuus, Sabionam Germaniæ Urbem (*c*), unde Sedes Episcopalis postea Brixinam translata est, veniens, ejus homines ad Christi fidem convertit (*d*), ædificataque in honorem

---

Id quod ante Roschmannum jam pridem adnotarunt Brunnerus, Merianus, ac Reschius, quorum postremus in serie Episc. Sabion. pag. 34. inquit. „ Pontifices nostros ante translatam a S. „ Albuino Sedem Brixinæ habuisse quod„ dam Domicilium, Canoniam, & Mo„ nasterium, quamvis de ejus ortu non „ constet. Sedem tamen Ordinariam re„ liquerunt Sabionæ in testimonium suæ „ Residentiæ „.

(*a*) Absit, ut dicamus reliquias Ingenuini perpetuo schismatici adeo religiose servatas una cum reliquiis alterius Præsulis apprime catholici, ac sancti.

(*b*) Altum de hoc apud Prudentium silentium, in cujus Peristeph. Hymn. de S. Cassiano Martyre Foro-Corneliensi hæc tantum leguntur:

Præfuerat studiis puerilibus, & grege multo
Septus Magister Litterarum sederat.
Verba notis brevibus comprehendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.

Hæc nequidem innuunt, nedum non commonstrant, fuisse Cassianum in divinis Litteris egregie versatum. Atque hoc ipsum mirum videtur, virum in sacris litteris eruditum pueris in profana disciplina, notaria, inquam, arte instituendis incubuisse; id quod Ecclesiastico viro, præsertim Episcopo, dissentaneum a D. Greg. Lib. 9. Epist. 48. didicimus.

(*c*) Satis hoc ipsum prodit recentem ætatem ejusmodi Brixinensium Fastorum, cum prisca Geographia Sabionam minime accenseat Urbibus, *Germaniæ*, sive, ut habet Petrus Calo, *Alemaniæ*, sed aut *Rhætiæ secundæ*, aut *Noricorum*, aut *Wabarorum*, sive *Bajovvariæ*. *Sabionam*, inquit Meichelbeckius Dissert. II. de Rel. Christ. Bojar. super. &c.) *fuisse iis temporibus partem Norici, ac deinceps Bojariæ, Eruditorum nemo ignorat. Ex delineatione Norici veteris*, quam V.C. Chrystophorus Gevvoldus anno Christi 1619. Ingolstadii edidit, patent priscæ Geographiæ in isthac Provincia Nomina. Neque Petrus Calo alium rei hujus testem ac rudem adpellare potuit Fratre Bartholomæo Tridentino antiquiorem. Sabiona etiam Cassiani ævo haud Urbs fuisse videtur, sed ad summum aut vicus aut oppidum.

(*d*) Mirabuntur plures, Cassianum virum alienigenam in Regione barbara persecutionis ævo, triumphante passim in Urbibus Idololatria, adeo facile Ethnicam potuisse superstitionem exterminare, ut Sabionam perveniens uno Christi obarmatus nomine, quamlibet alias indigenis infensissimo, mox illud ingeminare potuerit: *veni, vidi, vici*.

rem Matris Dei Virginis Mariæ *(a)* Ecclesia, primus ibi Episcopus a Patriarcha Aquilejensi ordinatur *(b)*. Inde a Paganis expulsus *(c)* Romam peregrinationis caussa proficisci decrevit *(d)*. Cum autem ad Forum-Cornelii, quæ nunc Imola *(e)* dicitur, pervenisset, eum populum Idolorum cultui deditum videns, ibi divino consilio veram Christianæ Religionis fidem disseminare *(f)* cogitavit.

Atque

(*a*) Ecclesiam Sabionensem titulo Matris Dei Virginis Mariæ insignitam minime ostendunt prisca Diplomata. In Diplomate siquidem Ludovici Imperatoris an. 901. facta eidem Ecclesiæ quædam Donatio perhibetur, non ob venerationem Matris Dei Virginis Mariæ, sed *ob Beatorum Stephani Prothomartyris & Cassiani venerationem, sub quorum honore eadem dicata micat Ecclesia*. Persecutionum quoque tempora haud patiebantur palam ædificari Christianorum Ecclesias.

(*b*) Inauditum Cassiani ævo Aquilejensium Patriarcharum nomen. Legitima nulla, ac sincera nulla proferri queunt Romanorum Pontificum, aliorumque Scriptorum monumenta, in quibus Aquilejenses Metropolitæ ante Schisma, ipsius Schismatis tempore, ac diu post Patriarcharum titulo donati fuerint. *Quo altius silentium* (inquit Rubeus Dissert. Histor. de Schism. Aquil. cap. XXII. pag. mihi 208.) *eo facundius originem vocis ejus a Schismate repetendam clamat atque confirmat*.

(*c*) Si prædicante Cassiano Urbis Sabionensis indigenæ Christi militiæ nomen dederunt, ubinam sunt Pagani, qui ipsum pepulerint, extorremque fecerint? Si autem Pagani tunc fuerint Christicolis commixti, credamne impotentem illorum furorem Cassiani vitæ pepercisse, nec in ejusdem aut in aliorum Christicolarum necem quicquam molitos? Paganorum etiam nomen Cassiani ævo recentius agnoscunt Eruditi numero plures. Et Frater Bartholomæus apud Petrum Calo haud expulsum refert. Sed *captus illuc ductus ab iniquis* dicitur.

(*d*) Nescio an facile suaderi possit cordato viro, exules Episcopos persecutionum tempore ad eas declinandas consuevisse Romam peregre agere. Hoc pacto namque, cum ab Romanorum Imperatorum Edictis illæ orirentur, in eas magis magisque incidissent. Invenio quidem exules Episcopos consuevisse Dei Ecclesias visitare, ac in fide Catholica illas confirmare, uti legere est de SS. Eusebio Episcopo Samosateno, Eusebio Episcopo Vercellensi, Hilario Episcopo Pictaviensi &c. Sed eos egisse, quod de Episcopo Sabionensi Cassiano narratur, nullibi mihi occurrit aut vola aut vestigium. Hinc Maffejus Lib. 7. Veron. Illustr. col. 166. de S. Proculo. *I dotti Padri Bollandisti su la fede di moderni Autori adducono, che facesse gran viaggj in Oriente, e ne' luoghi Santi, e in Pannonia; ma di questo nè si ha fondamento, nè sarebbe ciò stato conveniente all' uffizio suo di Pastore, e tanto meno in tempi così bisognosi d' assistenza*.

(*e*) *Imola* nomen ævo Prudentii ignotum, cum tunc vocitaretur duntaxat Forum Syllæ. Unde Prudentius cecinit:

Sylla Forum statuit Cornelius, hoc Itali Urbem.
Vocant ab ipso Conditoris nomine.

(*f*) Difficile quoque captu, Foro-Corneliensem Urbem, ut ut longe proximiorem Petri Cathedræ, a qua Christi fides ad cæteras Occidentis Ecclesias dimanavit, eam serius, quam Sabionam suscepisse.

Atque ut id facilius præstare posset, Grammaticam (*a*) humanasque litteras pueros docere cœpit; quibus cum profanos libros (*b*) explicare contingeret, inanem Simulacrorum cultum esse rationibus demonstrans, Fidei capita illis proponebat, atque in Christiana religione teneram ætatem excolens, verbum Dei disseminabat (*c*): quod cum per eam Urbem divulgaretur, tanquam novæ Religionis Auctor apud Urbis Præfectum (*d*) accusatur, a quo interrogatus, quam profiteretur artem? respondit: se Jesum Christum crucifixum totius Mundi salutis Auctorem ignorantibus prædicare. Cumque ab eo proposito Præfectus eum nullo modo abducere posset, novum & crudele supplicii genus excogitans, Cassianum discipulorum arbitrio, quibus docendo

(*a*) Vel Grammaticam docere, teste Magno Gregorio, Episcopum dedecet. Neque de Grammaticæ præceptis a Cassiano pueris traditis loquitur Prudentius.

(*b*) Multo magis profanos explanare Libros a sacerrimo Viro, qualis est Episcopus, omnino alienum.

(*c*) De hoc quoque neque vola neque vestigium, nedum apud Prudentium, sed nec apud veterem Historiam, quam laudat S. Petrus Damianus in Serm. de S. Cassiano Martyre. Prudentius siquidem Martyrium Sancti Cassiani haud ortum tradit, quia ipse pueros sibi commissos Christianæ fidei præceptis imbueret, sed quia idolis cultum deferre constantissime renuit. En verba Prudentii:

Ecce fidem quatiens tempestas sæva premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu e multo moderator alumni
Gregis, quod Aris supplicare spreverat.
Pœnarum Artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu.
Respondent: agmen tenerum ac puerile gubernat,
Fictis notare verba signis imbuens.
Ducite, conclamat, captivum ducite, & ultro
Donetur ipsis verberator parvulis &c.

S. etiam Petrus Damianus ex præfata Historia ita refert. ,, Beatus itaque ,, Cassianus, ut gestorum illius testatur ,, Historia, dum schularum Doctor existeret, brevibusque notis verba comprehendere pueros erudiret, pro fide ,, Christi ad quæstionem deductus est. ,, Cumque zelo succensus fidei, Judicum ,, decreta contemneret, & sacrificia profana calcaret, discipulorum manibus ad ,, cruciandum traditus est; ut illis versa vice pœnas exsolveret, quos ipse ,, dudum sub disciplinæ ferula tenuisset. Mox itaque indumentis exuitur, manibus post terga ligatur, armato stylis & tabulis puerorum furentium agmine circumfunditur; qui ,, undique compunctus atque discerptus, ,, toto corpore laceratur. Novum plane & inusitatum genus Martyrii insignem Deo Martyrem consecravit. Historia de S. Cassiano apud S. Petrum Damianum omnium optima visa est S. C. R., quam ideo pro secundis Lectionibus secunda Dominica post Pascha ab universo Clero Diœcesis Brixinensis per totam Octavam unice recitandam indulsit die 12. Sept. 1733.

(*d*) De Urbis Præfecto nihil etiam Petrus Calo, qui duntaxat in plurale *Præsidentes* & *Edicta Principum* memorat.

cendo exosus factus fuerat, excruciandum & occidendum tradi imperat. Impii vero discipuli in Magistrum, a quo vitæ præcepta acceperant, incitati, illum columnæ (a) marmoreæ (quæ adhuc via Flaminia in Sacello prope Civitatem religiose asservatur) alligatum, furentes invadunt, tabellisque & ferreis stylis sacrum ejus corpus undique contundunt ac lacerant, quorum vulneribus diu confossus, & crudeliter excarnificatus, invictum Deo spiritum reddidit idibus Augusti, (b) Juliano Apostata Imperatore (c). Ejus martyrii palma tanto fuit illustrior, quanto puero-

(a) De hoc quoque nihil legere est in Hymno Prudentii, ut, si vera sint plura, quæ aut ignorasse, aut reticuisse videtur idem Prudentius, haud immerito exclamare fas sit cum eodem in Hymn. de SS. MM. Hemetrio & Cheledonio.

O vetustatis silentis
Obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis,
Fama & ipsa extinguitur;
Chartulas blasphemus olim
Nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis
Erudita sæcula
Ordinem tempus modumque
Passionis proditum
Dulcibus linguis per aures
Posterorum spargerent.

(b) De hoc etiam nihil apud Prudentium.

(c) Cum Prudentius ævo Juliani vixerit, ac vetusto ante ipsum tempore ab se narratum Martyrium contigisse scripserit, fieri nullatenus potest, sub ejusdem Juliani Imperio Cassianum Martyrem obiisse. Namque Prudentius testatur veterem historiam accepisse martyrii a quadam Pictura, ac Æedituo, de quibus talia fatur.

Ædituus consultus ait: quod prospicis hospes
Non est inanis, aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita Libris
Veram vetusti temporis monstrat fides &c.

Ad minus ergo debuit cruentam pro Christo oppetiisse mortem in persecutione Diocletiani. Unde haud meretur fidem, nec Hundius, qui in Metropoli Salisburgensi narrat, primum Sabionæ in Noricis, seu in Alpibus Tyrolensibus, Episcopum S. Cassianum a Fortunatiano Aquilejæ Episcopum initiatum esse, ac hujus Sedis initia ad annum circiter 350. referenda; neque præfata sacra Monumenta, quæ produnt ipsum ab Ethnicis Civitate pulsum, dum Romam peregrinationis caussa tenderet, Fori-Cornelii sub Juliano Apostata martyrio tandem coronatum. Quibus certe nullam adhibuisset fidem doctissimus Rubeus in Monum. Eccl. Aquil. cap. VII. num. VII. si paulisper animum advertisset suum ad modo recitata verba Prudentii. Sed venia Viro summo, alio distento, facile danda, quum obiter duntaxat ac per transennam in hanc quæstionem inciderit, soliusque omniscii Dei sit esse fallere & falli nescium, ac solorum Hagiographorum, queis præsto est Spiritus Sancti adflatus, Scriptorum sit nusquam errare. Cæterum emortualem Cassiani diem, ejusque martyrium haud consignari posse sub Juliani Apostatæ Imperio, ex hactenus in Dissertatione adnotatis in propatulo est. Cumque idem Cassianus, si iisdem Fastis Brixinensibus fides, anteaquam ludum litterarium Foro-Cornelii aperiret, Sabionæ Antistitem egerit, ibique novæ Christi Ecclesiæ prima fundamenta jecerit, tam non potuit Ædem B. Mariæ Virginis nomini sacram palam erigere atque construere, quam


puerorum vis infirmior, pœnaque gravior ac diuturnior. Corpus S. Martyris Imolæ, in Majori Eccleſia conditum, magna pietate colitur.

APPEN-

---

quam alibi quoque nonniſi poſt Eccleſiæ pacem per Magnum Conſtantinum redditam Templa primum excitari cœpere. De quo ſatis multa diximus in Diſſertatione, cui & præfatis Faſtis hactenus cenſoriis notis a me caſtigatis, finis eſto, ad Gloriam Dei, & Sanctorum Caſſiani, Ingenuini, & Albuini, quos oro ac exoro, ut pro me apud Deum Patrem Omnipotentem intercedere, mihique cum ſemper propitiare dignentur. *O per omnia viros laudabiles!* (verba ſunt antiqui Breviarii Brixin. apud Reſchium pag. 37.) *quorum ex puro corde ſi poſtulentur ſuffragia, precibus eorum miſericordia apud Deum inveniatur & gratia*. Ac nominatim de S. Caſſiano Prudentius:

Audit, erede, preces Martyr proſperrimus omnes,
Ratasque reddit, quas videt probabiles.



APPEN-

APPENDICULA

DE MENDIS

ROMANI MARTYROLOGII

Quæ ſacro cultui nihil officiunt.

I. PRo iis roborandis, quæ de mendis Romani Martyrologii, loca, tempora, nomina, ac novitia quædam elogia ſpectantibus diſſeruimus, pauca hæc modo lubet ſubnectere, quo ejuſdem circa religioſum verorum Sanctorum cultum auctoritas amplius vindicetur. Ita quoque fiet, ut, cum in eo *Sanctus* D. Ingenuinus vocetur, ab ipſomet authenticum teſtimonium accipiat, ac una ſimul magis magiſque probetur epitheton *almi*, quo inter præſtantioris ſanctimoniæ Præſules a Mabilloniano Anonymo cum primis laudatur. Cujuſmodi etiam epitheton, cæteros inter alibi relatos adhibuit quoque Jacobus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum Bonifacio VIII. coævus de Canonizatione S. Petri Cæleſtini Lib. 1. cap. 11. Tom. 3. Script. Rer. Ital. pag. 660, ceu ad ejus exprimendam vitæ ſanctimoniam omnium accommodatiſſimum. De qua ipſa ſignificatione ejuſdem vocis vide ſis Flodoardum Lib. 1. Hiſt. Rem. c. 3. Vitam S. Adelhardi, Hierolexic. Macri verbo *alma* & *almitas*.

II. Igitur in Romano Martyrologio 23. menſis Auguſti hæc leguntur: *Uticæ in Africa S. Victoris Epiſcopi*, quem Victorem in notis ad hunc locum putat Baronius ipſiſſimum eſſe, qui Vandalicæ Perſecutionis Hiſtoriam poſteritati mandavit. Quaſi vero hujus famigeratæ Hiſtoriæ Scriptor ſit Victor Uticenſis, atque hujus eo loci in hodierno Romano Martyrologio memoria recolatur. Aſt Petrus Franciſcus Chiffletius S. J. eruditus Scriptor Victori, non Uticenſi, ſed Vitenſi Epiſcopo, tamquam vero ac legitimo Auctori ſuo, Africanæ Perſecutionis hiſtoriam reſtituit, eumdemque Auctorem *Epiſcopum Vitenſem, non Uticenſem*, diſerte nuncupari in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ teſtatur Lucas Holſtenius in Animadverſis ad Martyrol. Rom. decimo Kal. Sept.

III. Verum quia idem Holstenius ibidem expostulat, præfata verba a Recentioribus perperam adjecta, præterea quod in antiquioribus Codicibus omnino desiderentur, obscura apud antiquos sit illius Victoris memoria, nec unquam ipsius nomen in sacris Fastis locum habuerit; ergone colliges, haud ea fuisse sanctitate hujusmodi Victorem, qua sibi publicum cultum vendicare meruerit? Minime profecto, cum (uti monet Cl. Ruinartius in Præfat. ad Hist. Persecut. Vandal. num. VII.) id ei cum aliis compluribus Viris sanctitate & doctrina celeberrimis commune sit, in Veteribus Codicibus MSS. *Sanctus Victor* vocitetur post ea etiam tempora, quum hic titulus Auctoribus Ecclesiasticis, maxime Episcopis, tribui consueverat, neque in dubium revocari queat, ipsumet Sanctos inter Confessores, qui sub Hunerici tyranni persecutione pro fide catholica invicto animo depugnarunt, esse accensendum.

IV. Prælaudato Ruinartio in Notis ad Librum primum Historiæ Victoris Vitensis a pag. mihi 71 litura corrigendum videtur, quod legere est in eodem Rom. Martyrol. 29 Martii: *In Africa Sanctorum Confessorum Armogastis Comitis, Masculæ Archimimi, & Saturæ regiæ domus procuratoris, qui tempore Vandalicæ persecutionis sub Genserico Rege Ariano pro confessione veritatis multa & gravia perpessi supplicia atque opprobria, cursum gloriosi certaminis impleverunt*. Quandoquidem hæc scite animadvertit: „ *Comes*. Ex hac voce occasio sumpta est Armogastem in Romano „ Martyrologio *Comitem* appellandi die 29 Martii, quasi vir iste „ Sanctus *Comitatus* dignitate aliquando fuerit insignitus. At „ fallar, si voces illæ, *comes bonæ confessionis*, aliud hic signent, „ quam *in*, aut *cum bona confessione*. Unde Ado, Usuardus, alii„ que Veteres Martyrologiorum Scriptores, qui hac ipsa 29 Mar„ tii die festum ejusdem Sancti Confessoris, aliorumque sequen„ tium, *Archinimi* scilicet, & *Saturi*, seu *Satyri*, recolunt, ni„ hil habent de hac *Comitis* dignitate. *Archinimum* &c. Chiffl. „ *Archimimum nomine Masculam*, quasi nomen proprium hujus „ Confessoris *Mascula*, qui mimicæ arti præfectus fuisset. At „ unus Colb. omnium vetustior, & Mart. cum Lorichio & Or„ thod. habent *Archinimum*, qui & sic appellatur in Adonis „ Martyrologio edito, atque in tribus vetustis Manuscriptis, cui „ etiam consentit Florus. Apud Usuardum vero, cujus auto„ graphum penes nos habemus, legitur *Archiminus*. Quam le„ ctionem exhibent quatuor item alia Martyrologia, a Bollan„ dianis die 29 Martii laudata. Codex Colbertinus secundus

„ *Archi-*

„ *Archiminium*. Notkerus autem in Martyrologio, quod a Ca-
„ nisio Tom. 6. antiquæ Lectionis vulgatum est, habet *Archi-*
„ *mimum*. Quæ lectio est etiam Codicis tertii Colbertinæ Bi-
„ bliothecæ, sed omnium recentioris. Martyrologium Leodien-
„ se *Arginimum* eum appellat. Jam vero exemplar vetustum a
„ Baronio laudatum habet *Masculanum*. Cui suffragantur MSS.
„ 2. Colb. & Edit. Rhenani, Balduini, Bignii, & Colon. ubi
„ legitur *Masculan*. Mart. habet *Masculum*. Lorichius, Orthod.
„ & Sur. *Archinimum* nomine, *Masculinum*. Et Belfor. vertit
„ *Masculin*. E quibus omnibus liquet nomen hujus Confessoris
„ proprium fuisse *Archinimum*, aut *Archiminum*; Masculam vero,
„ quæ urbs fuit in Numidia celebris, ejus patriam. De qua
„ Urbe plura habes in Notis ad Episcopos Numidiæ, qui in no-
„ titia recensentur num. 94. Et quidem ex omnibus Martyro-
„ logiis a me supra laudatis, quæ hunc Sanctum simul cum Ar-
„ mogaste & Saturo die 29 Martii commemorant, ne unicum
„ quidem Masculæ meminit, omnes e contrario *Archinimum* lau-
„ dant, quod nempe istorum Fastorum Scriptoribus persuasum
„ fuerit, hac voce *Masculam*, non Confessorem ipsum, sed ejus
„ patriam designari. Hinc emendandi recentiores, qui *Mascu-*
„ *lam*, professione *Archimimum*, incaute in fastos sacros invexere.

V. Observat idem Ruinartius Hist. Vand. Part. II. Cap. X. pag. 269 spongia quoque indigere, quod extat in eodem Romano Martyrologio 23 Maii: *In Africa Sanctorum Martyrum Quinctiani, Lucii, & Juliani, qui in persecutione Vandalica passi æternas coronas meruerunt;* nedum quod absque ullo vel probabili fundamento *Quinctianus* fuerit pro *Quintio* aut *Quinto* substitutus, verum etiam quod Victor Vitensis nihil de illis habeat, leveque admodum sit fundamentum hujusmodi Martyres eo solum nomine, quod in Africa passi dicantur, ad persecutionem Vandalicam revocandi.

VI. Monet quoque Norisius Hist. Pelag. Lib. 1. cap. 5. col. 55. Diem martyrii Sancti Flavii Marcellini Donatistarum ac Pelagianorum hostis acerrimi perperam statui VIII. Idus Aprilis, cum illius, ejusque majoris natu fratris occisio Idibus Septembris certo contigerit:

VII. Insuper sin minus falsa, saltem oppido dubia est S. Zenonis Episcopi Veronensis sub Gallieno Imperatore Passio, quæ recolitur Pridie Idus Aprilis, uti celebres FF. Ballerinii Presbyteri Veronenses in absolutissima Operum S. Zenonis Editione apodictice demonstrarunt, nec ipse Franciscus Maria de Aste Ro-

mani Martyrologii illustrator adnotatorque egregius, ac Archiepiscopus Hydruntinus, ejus loci, ad instar Molani, reformandi consilium suggerere dubitaverit hoc pacto: *Veronæ S. Zenonis Episcopi, qui inter procellas persecutionis eam Ecclesiam rexit, & multa passus vitam finivit*, subductis, *quæ de passione, martyrio, Gallieni tempore*, ibidem enunciantur. Hæc tamen hisque similia menda, quæ non vacat prolixius enumerare, quæve in Romano Martyrologio a Viris eruditis passim notantur, leviuscula, ac minutiora sunt, quam ut Sanctorum cultum vitiare vel minimum queant.

VIII. Gravior videri potest error, qui a prælaudato Ruinartio animadvertitur In Hist. Persecut. Vandal. Part. II. Cap. VIII. num. 16. pag. mihi 247. ubi inquit de Martyrologio Romano die 2 Maii: „ Cum ex antiquis fastis Vindemialis Corsicensis, „ absque ullo addito, prædicta die memoraretur, qui postea Mar- „ tyrologii Romani editionem curarunt, eumdem esse hunc Vin- „ demialem cum altero, quem Gregorius Turonensis laudat, „ existimantes, Gregorii elogium addiderunt prioris commemo- „ rationi; atque ita unum ex duobus conficientes, neutrum rite „ recolendum proposuere. Sic quippe ibi laudatur: *Sancti Vin- „ demialis Episcopi*. Hæc de Corsicensi dicta erant. Additum est, „ quod de Vindemiali altero Gregorius scripsit, *& Martyris, qui „ una cum Sanctis Eugenio, & Longino, doctrina & miraculis ad- „ versus Arianos decertans ab Hunerico Rege obtruncari jubetur.* „ Nihilo tamen secius sive Vindemialis Corsicensis, sive Capsensis Episcopus exhibeatur colendus, sive Confessor, sive Martyr, sive confundantur ambo, sive probe distinguantur, ac separentur, sive etiam ipsis socii adjiciantur, omnes, haud refragante ipso Ruinartio, digni sunt, quorum memoria in Romano Martyrologio quot annis celebretur. Et aliud longe est, non deesse in eo errata in nominibus, temporibus, locis, elogiis, ac in minutioribus quibusdam aliis, aliud fœdari gravioribus erratis circa cultum, atque indignos omnino religioso cultu colendos in eodem proponi. Primum præfert nævos quosdam nihil ejus auctoritatem labefactantes atque tollentes; secundum superstitionem sapit, a qua Fasti sacri magnopere abhorrere debent. Unde si verum fuerit, quod eruditi quidam Viri monuere in Rom. eodem Martyr. 2. Jan. Amanuensium vitio frustra geminata fuisse nomina *Siridonis*, & *Isidori*; consentaneum quoque veritati erit, geminis iis nominibus nonnisi veri nominis sanctum, ceu religiosi cultus terminum, indigitari, solumque in hoc nominis men-

mendum, non cultus errorem admitti. Quod si propter leviores ejuscemodi errores, quos innuimus, aliosque similes, quos prætermittimus, Martyrologio Romano fides detrahenda esset, atque excideret prorsus ejus auctoritas, conclamatum esset de auctoritate rerum omnium, quarum Deus fallere & falli nescius auctor non fuerit. Nihil enim, Divinis unice exceptis, undequaque beatum est, atque omni ex parte perfectum. Nec mirum in tanta rerum segete, quæ in laudato Martyrologio continetur, aliquid lolii succrevisse nondum vel post multiplices correctiones hactenus factas penitus resectum, ac repurgatum. Mirum esset potius, si quod ab Evangelica auctoritate multum abludit, nec apicem, neque iotam, castiganda emendandaque haberet. Quocirca viris doctissimis de Martyrologio ac Breviario Romano querentibus respondit magnus Baronius ad ann. 302. §. 104. „ Sciant, velim, Romanam Ecclesiam . . . . . „ non sicut Evangelium (quod Gelasius monuit) legere con„ suevisse, vel legenda proponere quælibet Sanctorum Acta, sed „ potius ea cuncta Apostolica illa lance libranda relinquere: „ *Omnia probate, quod bonum est tenete*.

IX. Itaque præfata cæteraque id genus menda, quibus Romanum Martyrologium minime caret, objectantibus pro adimenda eidem auctoritate, qua suffulcitur D. Ingenuini Sabionensis Antistitis sanctitas, reponendum, ea nihil evincere, donec non proferatur exemplum viri religioso cultu plane indigni, qui perperam fuerit in Romanos Fastos invectus. Proferunt ipsi quidem Auxentium Mopsuestiæ Episcopum e sacris illius Ecclesiæ Diptychis expunctum, tanquam Arianorum fautorem, de quo in eodem Martyrologio 18. Decemb. Sed Auxentius, qui heic inter Sanctos accensetur, ac de quo Græci apud Baronium, non is videtur, qui e sacris deletus tabulis ob patrocinium Arianis accommodatum, sed alter ejus nominis, qui in iisdem Diptychis memoratur, tametsi elogium, quod illi appingitur, ipsi minime congruat; unde si quis est error, deprehenditur in hujusmodi elogio duntaxat. Producunt, irrepsisse quoque in Romanum Martyrologium nomen Marculi Pseudomartyris Donatistæ, errorem hunc animadvertentibus Molano, ac Tillemontio. Ubi enim legitur in Pseudo-Martyrologio Bedæ ad diem VI. Kal. Decem. *In Nicomedia* (lege *Numidia*) *B. Marculi Sacerdotis, & Martyris, qui temporibus Constantis Tyranni persecutiones maximas pertulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus est*, quæ omnia Marculo Donatistæ apprime congruunt; in Romano Mar-

Martyrologio eadem die habetur: *Nicomediæ S. Marcelli præsbyteri, qui Constantii tempore ab Arianis e rupe præcipitatus Martyr occubuit*. Etenim *Nicomediæ* positum autumant pro *in Numidia*, *Marcelli* pro *Marculi*, *presbyteri* pro *Sacerdotis* (quod nomen, Episcopi loco, in Martyrologio Bedæ legitur.) *Constantii* pro *Constantis*, & *ab Arianis* pro *a Macarianis*. Ast Baronius huic difficultati facere satis curavit in Notis ad hunc locum ajens: ,, Cum ,, hic Marcellus, ille Marculus, hic Nicomediæ, ille in Numi- ,, dia ponatur, cum insuper iste ab Arianis dicatur præcipitatus, ,, ille spontaneo se præcipitio dederit; hic denique presbyter, il- ,, le autem nequaquam talis esse reperiatur: jam omnis de Mar- ,, culo pseudomartyre suspicio cessare debet. ,, Adde nonnullos Bedæ Codices apud Bollandi Socios in Addit. ad VI. Kal. Decemb. *Marcellum* Martyrem Nicomediæ præferre, qui etiam in singulari Codice *Marcellinus* vocatur. Unde verisimile putat Mabillonius in Annot. ad ea gesta: ,, Marcellum Nicomediæ pas- ,, sum esse. Sed cum Marculum Donatistam eodem fere die ne- ,, catum quidam legerent, eumdem cum Marcello esse putave- ,, runt; adeoque Marculi genus mortis Marcello tribuerunt. ,, Videatur Hist. Donatist. part. 2. col. 344. Tom. 4. Oper. omn. Henr. Noris.

X. Postremo auctor sim, ut quisquis ad Martyrologii Romani discussionem accedit, ea qua par est moderatione, nec omnia cito credat, neque omnia facile neget; sed ita ab utroque vitioso extremo sese contineat, ut semper tamen cæteris paribus in sententiam magis piam magisque acceptam propendeat. Cujus quidem longe æquissimæ moderationis exemplar sæpe sum admiratus Comitem si quem alium doctissimum Ottolinum Ottolini vel hoc ipso nomine magnopere a Bonis omnibus commendandum. Eam etiam cautionem adhibeat oportet, ut Decretorium de re controversa judicium relinquat Apostolicæ Sedi, cui me quoque in omnibus, quæ hactenus dixi scripsique, totum subjicio.



EPI-

EPISTOLA AUCTORIS

AD V. CL.

JO: FRANCISCUM SEGUIERIUM

Juris utriusque Doctorem, & Academiæ Bononiensis Scientiarum Socium.



Ngentem cepi animi voluptatem ex humanissimis litteris tuis nudius tertius ad me datis, queis intellexi, tibi, aliisque tui similibus, viris doctrina ac eruditione præclarissimis, sententiam meam de D. Ingenuini Sabionensis Antistitis sanctimonia etiam atque etiam probatam, flocci e contrario nihilique factas adversas conjecturas, quibus morosiores quidem Censores sanctitatis titulum ipsi adimere, eundemque de Aris dejicere, moliti sunt, nimio sane ac minime laudando ausu; cum D. idem Ingenuinus in eorum censum veniat Sanctorum, de quibus S. Johann. Damasc. Orat. I. de Imaginib. num. XXI. *Hisne igitur suum negabimus honorem, quem concessit ipsis Ecclesia? O audacem manum! O temerariam mentem, quæ cum Deo contendit, ejusque jussis adversatur!* Eoque magis gavisus sum, quod noverim te vel in Arte Critica versatissimum, nec adeo facilem, ut Sanctorum Historiis fidem adjungas tuam, nisi genuinum, nisi solidum, nisi ad severioris Critices regulas exactum ad id adferatur, quin immo hac ipsa de caussa, ab anilibus fabellis, quæ passim lectitantur, magnopere abhorrentem.

Enim vero quam tibi in deliciis est ea Ars Critica temperatior, quæ separat pretiosum a vili, quæ, inquam, germana a spuriis nothisque, certa a dubiis & apocryphis, sincera ab interpolatis, atque ab indoctis Fabulatoribus labefactatis, rite discernit; tam eam intemperantiorem odisti plurimum, qua multi ex Heterodoxis, quodve dolendum magis, plerique etiam ex Catholicis ipsis Scriptoribus sibi sumunt, gravibus haud freti momentis, sed levibus atque inanibus usi conjecturis, in Sanctorum famam existimationemque, in sacratissima quæque anti-

quita-

quitatis monumenta impune grassari, lectissimumque Martyrum ac Confessorum exercitum decimare.

Horum quidem nequaquam ferendam audaciam, omnis christianæ moderationis lineas prætergressam, coercere satagit Cl. V. P. Josephus Augustinus Orsi in eruditissima Dissertatione Apologetica *pro Sanctarum Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum Orthodoxia*; ast non desunt adhuc inter nostræ Communionis Scriptores, haud obscuri alioquin nominis, qui Dodwellos, Basnagios, Wagenseilios, & id genus alios, sequi malunt, quam cum Ecclesia sentire, tametsi illi in hisce quæstionibus tantum detulisse constet S. Augustinum, ut nihil temere judicandum censuerit de iis, quæ, persecutionis tempore, pudicitiæ suæ insectatores declinaturæ, in proximum fluvium se se conjicientes, sibi mortem consciviffe videbantur. *De his* (inquit L. b. 1. de Civit. Dei cap. 26.) *nihil temere audeo judicare. Utrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, divina persuaserit auctoritas, nescio: & fieri potest, ut ita sit.*

Equidem hujusmodi rigidiores Critici (de nostris loquor, nihil enim ad nos de iis, qui foris sunt) impense commendandi forent, si pro imminuendo Sanctorum Catalogo, certa ac locupletissima testimonia protulissent; quum antem autument, posse puras putasque conjecturas contra Sanctorum cultum, eumque temporis plane immemorabilis, longe prævalere, ipsos hoc ipso nomine magnopere improbandos nemo non videt, ceu nil abludentes ab illis, qui eo usque delirarent, ut contenderent, unico conjecturarum adminiculo alterum a possessione pacifica, eaque antiquissima, deturbare.

Nesciunt profecto hi, aut se nescire fingunt, novas Romanorum Pontificum Constitutiones, Rubricas Martyrologii & Breviarii Romani, ac Sacræ Rituum Congregationis Decreta, quibus Sanctorum cultus adprobatur ac indulgetur, si per immemorabilis temporis cursum fuerit illis constanter adhibitus. In quam rem nostræ, de qua in Vindiciis disputavimus, perquam similem, disertissime scripsit J. C. Clarissimus Donatus Antonius de Marinis Tom. III. Juris Allegat. Insign. Allegat. CL.

Ignorasse quoque videntur, qui D. Ingenuini sanctitatem, eo obtentu quod olim damnationi Trium Capitulorum obstiterit, ac diro Aquilejensi schismati adhæserit, inficias ire ausi sunt, quod legere est in Libello Romanis Typis vulgato formis Jacobi Dragondelli M. DCLXIII. cui titulus: *Passio S. Bonifa-*

tii

tii ex fide MSS. Codicum Edit. a Luca Holstenio &c. In quo Libello castigatur adnotatio ejusdem Holstenii, qui, prætextu præfato, D. ejusdem Ingenuini sanctimoniam primus in dubium revocavit.

Quod autem ex errore Pauli Diaconi hujusce sancti Præsulis cultus, omnem hominum memoriam longe excedens, nequaquam manarit, persuasum mihi fecit iteratis litteris ad me directis P. Bernardus Maria de Rubeis Vir si quis alius in Historia Aquilejensis schismatis oppido subactus, nullique secundus.

Postremo quod ajunt ad infirmandam Martyrologiorum auctoritatem, in quibus Ingenuinus audit Sanctus, in ipsa aliquando Hæreticorum nomina irrepsisse, nullo negotio refutatur; quum heic habeamus antiquiora Diptycha, ex quibus Anonymus Mabillonianus *Almi* epitheton, quo Ingenuinum, æque ac cæteros præcipuos sanctos Antistites, ornavit, certo certius accepit. Porro semper sollicite cautum est, ne falsi Sancti pro veris, id est Hæretici aut Schismatici pro Catholicis in sacra Diptycha reciperentur. Quod etiam de cæteris Martyrologiis haud difficile admiserim, de Romano nequaquam facile concesserim. Quum namque Marculum Pseudo-Martyrem Donatistarum, primus, nono sæculo, imprudenter in suum Martyrologium retulisset Rabanus, inde in nothum Bedæ Martyrologium, & ex eo in aliquot Usuardi Martyrologii Codices, idem Marculus perperam fuisset intrusus, ab hujusmodi errore Romanum Martyrologium procul absfuisse certum est. Vide sis Baron. in Not. ad idem Rom. Martyr. 26. Novemb. de S. Marcell. Nicomed. Presbyt. Mabill. Tom. 4. Vet. Analect. Bolland. Soc. Tom. 7. mensis Jun. Orsi Differt. Apolog. supra laud. pag. 37.

Hæc habui, quæ tibi raptim perscriberem. Reliquum est, ut sicut cœpisti, me amare pergas, meoque nomine Viro Summo Marchioni Maffejo tui amantissimo, salutem plurimam dicas, quem, oro atque exoro, ut ad Italiæ decus, totiusque litterariæ Reipublicæ bonum, posteaquam invida mors nobis præripuit immortalis memoriæ Virum Ludovicum Antonium Muratorium, Superi diu sospitem servent. Quod faxit Deus.

FINIS.

ERRATA			CORRIGE.
Pag. 9	linea 16	Fossolodiensis	Fossoclodiensis
11	37	enim	cum
14 not.col.1.l.ult.		instriximus	Instruximus
16 not.col.2.l.	9	ennarrasset	enarrasset
28	6	Novellacense	Novacellense
51	16	Brixiana	Brixina
52	18	Ad ann. 13. Heracl. Imp. ann. 29.	Ad ann. Chr.638. Honor. Pap. ann.13. Heracl. Imp.ann.29.
54	32	certiores	certiores fierent
56	11	Tiburiensem	Tiburniensem
72	3	Avoticensi	Avoricensi
93 not.col.1.l.	8	Historiæ	Histriæ
97	20	ut	utut
103 not.col.1.l.	34	animadvertunt	animadverterunt
col.2.l.	27	Sabionates	Sabinates
	39	transiit	transiitque
114	11	Sabellium	Sabellicum
117	16	præteritis	præ exteris
not.col.1.l.	4	Schlandemæ	Schlandernæ
128	20	Archi-Epispiscus	Archi-Episcopus
134	14	inteligi	intelligi
	21	Noricum	Noricorum
	24	Tom.	tum Tom.
136 not.col.2.l.	17	subderat	suberat
150	23	Geograhum	Geographum
152 not.col.2.l.	6	Italiam	Juliam
154	15	juxta	apud Gluverium
162	13	cœpit	cepit
175	37	quem juxta	quem secundum
180		uti etiam,	uti
181	14	sed de eo	ac de eo
182	ult.	Martyris	Martyrum
186	2	*Metropolitano consecratus*	*Metropolitano est consecratus*
not.col.1.l.	40	existimavit	existimasse
187 not.col.1.l.	13	Ingenuinus schismaticus	Ingenuinus tunc schismaticus
	23	a Synodo fuisse	a Synodo V. fuisse
col.2.	2	rudem	vadem

Leviora omittuntur, quæ Lectorem morari nequeunt.

005665029



